


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVI
NAPOLI



JOANNIS ALOYSII MANEIRI
VERACRUCENSIS

DE VITIS
ALIQUOT

MEXICANORUM
ALIORUMQUE

Qui sive virtute, sive litteris Mexici inprimis floruerunt.

PARS SECUNDA.







BONONIÆ

Ex Typographia Laelii a Vulpe 1792.
Superiorum permissu.

AUGUSTINUS ARRIOLA.

COlotitani, quod oppidum est Guadalaxarensis dioeceseos in regno Mexicano, pridie Idus Februarias, anno post Virginis partum millesimo septingentesimo octavo, natus est Augustinus Arriola. De hujus Parentibus, prima institutione, ac moribus, priusquam ad Ignatianos cooptaretur, nihil ad nos devenit, nisi quod juvenis admodum Guadalaxaram fuit devectus, ibi gentium grammaticis, et philosophicis cognitionibus excultus, laudemque tum ingenii, tum suavis indolis, tum maturi judicii consecutus. Annum aetatis cum ageret vigesimum, Societati Jesu nomen dedit Tepotzotlani; quo in tirocinio manifestum fecit, in amplexo Instituto futurum se virum apprime deditum rebus Divinis, atque alacri conatu animorum salutem procuraturum. Post tirocinii biennium, studiorum curricula exegit probatus, laudatus, praemio donatus a Magistris. Pervenit tandem ad sibi exoptatissimum Sacerdotii gradum, mirifico ardore desiderans, ut se se cum Numine conjungere strictioribus vinculis, ita et Christi vineam excolere in perarduo munere animos poenitentia expiandi. Biennium totum huic ministerio vacaverat, cum tertio probatus ex more Societatis, missus est Administer, qui res Collegii Guadalaxarensis in

prædio, cui nomen Toluquilla, procuraret. Ibi tamen ad paucum temporis; quanquam efficacissimam probasset industriam, quae sane conciliavit ipsi nomen optimi Administri. Cum vero iis fuisset dotibus a Supremo Numine conformatus, quae ferventem Apostolum futurum illum pollicebantur; ad Hiaquiense Ministerium contendere jubetur, *Missionarius*, quod vulgo ajunt, illis gentibus praefuturus.

Hiaquium Cinaloviensis Provinciae regio est, ab ingenti ejusdem nominis fluvio appellata, qui ab Sonorae perpetuis collibus excurrens, et suis adaugens aquis Taraumarensèm, quem Magnum fluvium merito vocant, exonerat se, Occasum versus, in mare Californicum, vigesimo octavo latitudinis gradu ad Septemtriones. Ridet amoenitate solum, ac pene ultra fidem opimum est. Mirandum ibi maxime, quod cum totam regionem peragraveris, nullibi saxum invenies. Indigenae sunt natura splendidi, nullum colebant Numen, ebrietatem non noverant; elegantia corporis, robusta constitutione, dexteritate in bello, indole generosa finitimos omnes antecellebant. Ita facile Christi Fidem susceperunt anno sextodecimo supra millesimum sexcentesimum, Thoma Basilio, et Andrea Perezio, fervida pietate Sociis, primis ad ipsos vexillum Crucis inferentibus. Horum successor Augustinus, mirum est, quanta alacritate insudaverit, ut sibi commissas animas in re christiana institueret. Ac primum quidem laborem illum, et contentionem, quae pro linguis

guis addiscendis operosa nimium quantum est adultis hominibus, toto ille virium conatu amplexus est; idque pro lingua, cui nulla omnino similitudo intercedit cum aliis ad eam aetatem sibi cognitis. Ad civilem vitae rationem, et pene ad hominum mores informare sibi traditas gentes, cura fuit Arriolae non modica; et hinc, ne quid illis ad victum deficeret, opportunus erat monitor, ut stato tempore seminarent, ut maturos terrae fructus colligerent: nam eo proni ad desidiam sunt illi homines, ut facile ad ferinam avorum. vitam redeant, nisi ad laborem suaviter impellantur. Pro cultu corporis ipsis providendo, pro tuguriorum supellectili, ut in illa rerum penuria, pro familiae uniuscujusque regimine, pro publico, pro singulorum bono maximopere invigilabat. Sed parum haec erant, si cum iis conferantur, quae in tractandis rudium hominum ingeniis operabatur, ut eos ad rectum salutis iter evocaret. Ea fere conditione, ac tanquam avito jure, indigenarum liberi concrescunt, ut vix ad salutem necessaria edoceantur; nihil ipsis cognito scientiarum humanarum ornamento. Id autem non eatenus est, quia reapse illi sint, quales olim in Orbe hoc vetere depicti comparuerunt, vix modico praediti, eoque incerto rationis lumine, ut pene ad bestias declinarent; sed quia natura desides, atque ab opere abhorrentes, nihil insuper instituuntur. Quaqua potuit, enixe Augustinus adlaboravit, ut illos tum christianis moribus, tum urbanis officiis

imbueret. Erant ad octo millia, plus, minusve, quos unus erudiendos excepit; qui cum duo incolerent oppida, unum ab altero ad passuum millia quindecim; ultro, citroque ille cursabat; indefessa sedulitate omnes lustrabat; ingenti universorum gaudio, ubi ubi compareret, excipiebatur: hos Christiana Mysteria edocebat; illos ad studium pietatis excitabat; omnibus auctor erat, idque vehementissimo ardore, ac vel infimis precibus, ne feriati cessatione torperent, ne criminum veterno ad longum tempus opprimerentur. Ea propter facilis dabat aures, qualicunque diei momento vellet quisquam ad sacram poenitentiam accedere. Hanc vero facilitatem demonstrabat potissimum in Esurialibus feriis: quo quidem tempore, post matutinas horas huic ministerio consecratas, ad eundem redibat laborem statim a prandio. Ab hac defatigatione cum domum repeteret adulta jam nocte, siquem forte reperiebat, qui pro juvando aegroto ipsius operam imploraret, illam continuo praestare nihil gravabatur; quanquam equitare opus esset intempestiva illa hora, sive etiam flumen transmeare. Ut primum aliquis ad extremum periculum morbo corriperetur, ultro ad ipsum Augustinus advolabat, jacentem erigebat, tristem solabatur, medicamentis recreabat, postremis religionibus muniebat, nec ab afflicti lectulo avellebatur, nisi major alio vocaret necessitas. Et profecto, qua erat charitate, atque indole actuosa, nihil intentatum relinquebat, quominus omnibus omnia

fa-

factus, alliceret sibi singulos, ut universos Christo lucrifaceret.

Neque vero haec indefessa charitas illos tantummodo respiciebat, quibus opitulari ex dato sibi munere tenebatur. Juvabat etiam Californios, peninsulae incolas, quae sita est ad propinqui maris littus oppositum: cum enim bis in anno ab illa sterili regione naviculae adventarent, pro miseris incolis victum comparaturae; curabat Augustinus, voluntarius rei procurator, ipsis annonam providere; ut quaecunque alia Socii expeterent, qui ad eas gentes Apostolica ministeria exercebant. Anno saeculi praesentis quinquagesimo, in vico, quem Guaimas appellant, novum erectum est christianorum domicilium, et novus Mexico immissus Minister Ignatius Lizassoainius, qui sacra ad Neophytos faceret, atque occasione captata, Christi nomen finitimis Ethnicis annuntiaret. Guaimae ad oram sunt Californici maris inter Pimerianos ad Meridiem, et Serienses ad Aquilonem; quibus quidem Seriensibus, barbaris, et bellicosis, mos erat antiquus finitimorum vicos depopulari. Haec inter pericula recens ille constitutus Minister, novos veri Numinis cultores ad christianae vitae disciplinam erudituros, quamplurimis egebat auxiliis, ut sedem sibi pararet, ut Templum aedificaret, ut rei domesticae provideret, omnino ut christianum nomen erigeret, ut imperium doemonis deturbaret. Augustinus, quo erat magno animo, Lizassoainio confestim suppeditavit armenti

ad centum capita, gregis ad mille: ut generoso collato dono ad novi Ministri commodum, ultra etiam Paroeciae suae terminos Christi nomini propagando concurreret. Nec minus charitatis terminos prolatavit, cum intra Paroeciam suam aedificata domus est, in quam domum indigenae pueri ex tota Hiaquiensi regione convenirent, et gratuita impensa enutriti, in Fidei christianae rudimentis, hispana lingua, et arte musica instituerentur. Ut ex communi Sociorum consensu, qui ad eas gentes Ministri Sacrorum erant, constructa domus est; ita et eorundem voluntate domui gubernandae praepositus Augustinus; qui probe intelligens, magni esse momenti novum hoc sibi commissum negotium, miris charitatis artibus usus est, ut bono publico esset plantarii illius institutio. Et quidem eam praestitit indigenis adolescentibus benevolentiam, tam solicita alacritate tum rei domesticae invigilabat, tum alumnorum educationi, potissimum in re christiana, intentus erat; ut nemo esset ullus, quin maxime probaret, renuntiatum Arriolam fuisse ad ejusmodi Seminarii gubernationem.

Verumtamen tirocinia haec hominis fuere, quem ad pietatis fastigium, et praecipuum tolerantiae exemplar vocare Deus constituerat. Ea, quam hactenus demonstravimus, vigilantia custodiebat Augustinus vineam Domini, quam sudore vultus irrigare jucundissimum illi erat; propthereaque nihil dubitabat, quin eadem in opera reliquum vitae tempus traduceret. Attamen

men

men et paralysi repente correptus est, et ejus oculorum acies quammaxime coepit imminui. Atque ab illa quidem convaluit tandem longo balneorum usu; oculorum autem valetudinem cum post longum tempus non reciperaret, imo paulatim eo devenisset, ut fere non posset distincte cognoscere, quae sibi erant in propinquo; ad famosum deferri Ophthalmicum, qui dudum Mexici comparuerat, a Collegis in ministerio Hiaquiensi decretum est. Nihil ille ad itineris incommoda, nihil ad effusas charorum lacrymas conturbatus, quamcelerrime proficisci non distulit, obsequentique animo paratum se se ostendit ad quaelibet subeunda discrimina. Ergo inter suspiria, et lacrymas indigenarum, quos, tanquam filios Pater, ad annos ferme septemdecim peramanter educaverat, et quos tunc a planctibus cessare jubebat; difficile juxta, ac longum aggressus est iter, fortis ipse animo, et vultu tranquillus. Mari se dedit Californico, et post dies aliquot Matancelem appulsus est, Novae Galleciae portum; unde scilicet Mexicum minori terrestrium itinerum vexatione deportaretur. Caeterum et nebulis, et salsis maris vaporibus eo ruit in pejus aegritudo, ut pene orbus omnino terram contigerit. Id cum litteris accepisset, qui Mexicanam Provinciam tunc Praeses gubernabat, necessarium existimavit, tanta fidelitate villicum a Domini praediis removeri, atque ad Sanctorum Petri, et Pauli Mexicanam domum, utcunque res abundare difficultatibus videretur, transduci; si for-

forte spes esset, adhibitis Artis Medicae auxiliis, visum homini restituendi. Sed incassum omnia: decreverat enim Deus, ut olim suffusione Tobiam, ita nunc tentare glaucomate Augustinum; cujus oculorum acies ob nimiam humoris chrystallini siccitatem, et concretionem penitus extincta est. Itaque salute jam desperata, mittitur Angelopolim in Sancti Spiritus Collegium; ubi tum suavissima indole, tum familiari comitate, tum morum innocentia, tum alacri assiduitate in praebendis auribus pro criminum expiatione, amorem sibi omnium, atque admirationem conciliavit. Vitae autem constantissimus tenor, quem ibi gentium instituit, fuit ejusmodi. Mane cum diluculo exurgeret, atque illico domesticum sacrarium contenderet; post longam coelestium rerum meditationem, Divino Sacrificio, quod peragere ipse non poterat, religiosissime intererat, atque Eucharistico edulio se recreabat. Neque longa mora facta, deportatus in publicum domus Templum, sacrum poenitentiae Tribunal Judex occupabat, non inde recessurus, donec ad prandium evocaretur. Similiter ab hora secunda pomeridiana eidem ministerio praestabat operam sive in atrio domestico, sive in cubiculi sui ostio; et quo loco sederat, indefessus durabat ad appetentem jam noctem; nisi praestituti dies essent, quibus ad Sanctimoniales pro confessione audiendas deferebatur. Exeunte jam die, in cubiculum reductus, ut erat comitate dulcissimus, facile sibi devinciebat

ali-

aliquem e Sociis junioribus, quem enixe deprecabatur, ut elata voce librum legeret, qui vel de rebus Divinis, vel de morum disciplina ageret: quam lectionem ad tres propemodum horae quadrantes cum protraheret; amplissimis pro beneficio gratiis nunquam non peractis, quidquid ante somnum supererat temporis, Deo se se in solitudine committebat. Brevibus haec profecto memoravimus lineis; quam tamen laudem Augustinus meruerit, incredibili tot annos constantia operosam vitae rationem retinens, quin unquam sibi requiem ab audiendis confessionibus daret, nisi gravi morbo impediretur; utique noverint, qui ad tale munus et spinis, et taedio plenum destinati sunt. Ille solatio, ille consilio, ille medicamento, prout infirmus erat, qui sanandus accederet, ille salutaribus verbis, et suavissima conditis humanitate, sibi semper constans, juvabat omnes ad se venientes: ut plane videretur, nullam ipsi esse curam, et ne cogitationem quidem, nisi in aeterna sui similium salute procuranda. Equidem jam cum Theologiae darem operam in Mexicano Collegio, tantum hominem magni aestimare didici: Franciscum enim Zevallium, qui et justus rerum aestimator, et merito clarissimus Provinciae tunc praeerat, haec audivi cum alio colloquentem: *Angunt me, ac timore sollicitant litterae ab Angelopoli hodie ad me delatae, quae salutem Augustini Arriolae periclitantem annuntiant: gravem enim jacturam existimo, si vir ille defecerit; in quo sane tum externi*

ope-

operarium alacrem pro conscientiis poenitentia purgandis, tum domestici absolutum religiosae pietatis exemplar desiderarent.

Neque vero cum die propemodum tota operosae charitati vacaret, aut contractam ille frontem, austerumque supercilium praeseferebat, aut ab hominum consuetudine abhorrebat. A Deo ad homines, ab hominibus ad Deum, ut statuta exigebant tempora, grata semper vicissitudine transire solitus erat. Porro quicunque Augustinum conveniebat, sive ut ab eo consilium exquireret, sive animi tantum causa; hominem reperiebat hilari semper fronte, vultu sereno, animo tranquillo. In colloquiis etiam familiaribus ridebat effusus, quin tamen modestiam offenderet; ac persaepe ad festivam lepiditatem vergebat. Nimirum cum ille non tetram, atque horridam virtutis esse imaginem judicaret; proposita in semetipso nativa forma sincerae probitatis, ad eamdem sectandam caeteros allicere procurabat. Quidam ab illo percontatus est, num cruciaretur admodum, quod visu careret? Nemo ullus est, qui nesciat, eadem de re a Divo Antonio Abbate interrogatum olim sapientissimum caecum Didimum Alexandrinum, ingenue confessum fuisse, sibi orbitatem displicere. At Augustinus ad Socium id sciscitantem: *Nunquam*, ait, *tristitiam eo captavi, quod visum amiserim; cum caetera sanitate corporis gaudeam, et corpore caecus caecas possim animas ad coelestem ducere Medicum. Nihil profecto mihi tum gloriosius, tum jucundius, quam*

si

si Christi operarius labori incumbam; nec in vinea, quam ad excolendam aeterna mercede sum conductus, inutilis habear omnino. Haec, et similia mente volvens, animum in calamitate recreabat; et nunquam immemor, in Dei famulatu laetitiam ab ipso commendari Domino; a tristitia, tanquam pietatis hoste, maximopere abhorrebat.

Haec inter illuxit dies vigesima quinta Junii, anno hujus saeculi septimo, et sexagesimo; cum universae Hispaniae finibus jussi sunt exulare Jesuitae. Laetissimus Augustinus, quoniam cogitatione perpenderet, ultro sibi oblatam novam pro Christo laborum seriem, atque ingentia subeunda pericula; verbo, atque opere manifestum fecit, animo se paratum esse ad sortem quamlibet perferendam. Res tamen quamplurimis erat difficultatibus obnoxia; et Regius ipse Minister probe intellexit, aegerrime posse caecum hominem tot mari, terraque devorare discrimina. Itaque Augustino ad se vocato, et blande compellato: *Equidem*, ait, *nihil dubito, quin exilio caeteris indicto ab Regia benignitate eximaris: proinde maneas, per me licet, in patrio solo; de te providebimus.* Cui confestim Augustinus: *Ego vero pro tua humanitate gratias ago; sed quos elegi semel vitae Socios, ipsos consequi ubique terrarum, charissimum habebo.* Rursus Minister: *Scis enimvero, quot te expectant milliariorum millia? In terrestri itinere quot mala? In pelago immenso quot incommoda?* Et ille nihil haesitans: *Quaelibet mihi obviam veniant, sive*

sive incommoda, sive discrimina, jucundissime quidem excipiam, si cum Sodalibus in calamitate positis convehar. Facta igitur a Ministro potestate, continuo in promptu jam erat pro immenso itinere; neque enim ferme fuit, quo spoliaretur, qui sacramento voluntariae paupertatis obstrictus, hanc virtutem in praecipuis coluerat. Quinto Kalendas Julias Arriola cum caeteris ejusdem Collegii Sociis viae se dedit; et maximis, ut pro statu valetudinis, exactis laboribus, die tandem itineris octavo Veram-crucem ingressus est, ubi jussi sunt exules commoditatem navium expectare. Devenit eodem per id temporis Josephus Olavarrieta, Sodalis Adjutor, quem Augustino Deus et laborum solatium, et perpetuum peregrinationis comitem destinarat. Hoc igitur jam hinc individuo contubernali Augustinus, nihil dubitans de Numinis auxilio, navim laeto vultu conscendit. Et sane quantis in diuturno, et periculoso itinere vexatus fuerit laboribus, quantis aerumnarum fluctibus agitatus; viderunt stupefacti, quotquot in eodem navigio vehebantur. Quidquid in ea rerum perturbatione, locique angustia pro tot capiendis hominibus, permolestum caeteris erat, longe acerbius Augustino fuit: nam praeter communia omnibus incommoda, suorum ille quorumlibet operum nullo unquam pacto vitare testes poterat; nec, aut ubi offenderet, aut ubi periculum subesset, aspicere. Verumtamen homo ad tolerantiam natus, nihil incompositis verbis, nihil importuna trepidatione serenita-

tem

tem vultus immutabat. In familiari consuetudine amoenus, ad omnem urbanitatis rationem accommodatus, bênigne unumquemque alloquens, jucundos, festivosque sermones intermiscens, omnes ad se trahebat benevolentia delinitos. Nec profecto unus inventus est, qui toto trimestri spatio, ad quod navigatio protracta est, de caeco illo homine conqueri jure potuerit. Atque hanc patientissimae vitae rationem tenuit in portu Mnestei, quo fuere Socii transvecti omnes ex proximo Gaditano, in quem primum appulsi fuerant. Inde post tertium mensem cum mari rursus committeretur, Corsicam petiturus; iidem fuere, qui in prima navigatione, labores, eadem quoque patientia: idem nimirum homo, animi aequabilitate mirabilis. Mense fere a navibus e portu Gaditano solutis, Adjacium tenuerunt; unde post dierum aliquot stationem, triduo Florentiopolim perventum est. Atque hic a Supremo Duce, qui praetoriam regebat, latum imperium: parari Socios, ut tertio post die Bastiam propinquam, et nobilem Corsicae urbem, itinere terrestri contenderent. Et jam perendino die sarcinae in scaphas transmissae fuerant, et destructi navales lectuli (quos pro multitudine vectorum construi temporarios navarchi jusserant ex asseribus, partim fune invicem coagmentatis, partim trabalibus clavis navigio confixis) cum novum repente imperium auditum est, Bastiam navigandum. Ratio autem, et illa quidem cunctis probata, fuit ejusmodi: Ardebat eo tempore bellum Galliam

in-

inter, et Corsicam; quae cum de induciis convenissent, easque pridie Kalendas Augusti casu inopinato rupissent; in militari licentia intutas fecere vias turbae hominum peregrinae. Nihil Augustino stomachum movit, quod super nudis navigii tabulis quatriduo cubare opus fuerit: quo in eventu meminerat certe pervigilis olim ad Aram Marianam in Monteserrato Ignatii; cujus agebantur solemnia, quo die ruptas inducias dudum memoravimus. Brevis ille maris trajectus, qui Bastiam a Florentiopoli dividit, non levem Augustino, et caeteris exulibus attulit anxietatem: cymba enim altera ex iis, quae Socios ferebant, vix non periit allisa scopulo; altera vero fluctibus omnino fuit obruta, ejusque vectores una ex naufragio tabula delectat etiamnunc, quod Guadalupanae Virginis, ut pie credunt, implorato auxilio e mortis faucibus erepti sint.

Bastiam demum pervenit Augustinus; quae Corsorum urbs et ipsi, et caeteris exulibus paratum erat christianae demissionis, et patientiae theatrum. Peregrini homines alieno in solo constituti, novam prorsus, perdifficilem, et miseram vivendi rationem aggrediebantur. Quod certe non eatenus fuit, quia ipsis defuerit Regia liberalitas, quae jam eo tempore pecuniam pro victu singulis erogabat; sed quoniam tum linguae, tum indolis indigenarum expertes, nullo penitus lectulo, nullo scamno, nullo abaco, nullo coquinario instrumento (ut in tanta multitudine, ac rebus perturbatis) pro modico quo-

que

que diversorio seni, octonive homines distributi sunt: et proinde qui calamum, ac libros duntaxat pertractare didicerant; per eos dies mediastini, obsonatores, et coqui repente devenerunt. Arriola quidem non idcirco eximere se voluit ab istiusmodi ministeriis, quod oculis captus esset: nam pone sequebatur Olavarrietam, sive hic lanienam peteret, sive furnum, sive tabernam quamlibet, pro Sociorum victu necessaria comparaturus. Ibat quadam die, ut sibi moris erat, Josepho ductore; cum Gallus quidam e faece militum, sive temulentus, nescio, sive improbus omnino, ad caeci hominis aurem, tanquam committeret arcanum, appropinquavit; et turpia quaedam verba inopinato cum intonuisset, per ludibria, et cachinnos proterve jocabundus discessit. Surdas opposuit aures homo patientissimus; et nihil a naturae statu, nihil ab religiosa gravitate dissiliens, petulantem gregalis militis procacitatem mirabiliter tranquillus dissimulavit. Bene vertit calamitosis exulibus, quod eo loci diutius immorari non licuit; etenim crescebant in dies Gallorum copiae, quae urbis custodiendae caussa illabebantur in insulam: ut plane animadverteret, qui summo cum imperio rei bellicae praeerat, non insimul posse ibi consistere duos advenarum exercitus, militarium alterum, alterum Sociorum ad mille fere capita. Ergo his indicitur, post diem tertium iterum navigandum; qui, nulla facta mora, ut cuique pro facultatum inopia datum est, cymbulas conscen-

dunt, et mare ligusticum praetergredientes, Genuense littus attingunt.

Terrestre quinque dierum iter partim pedes, partim mulo insidens clitellario, interritus fecit Augustinus; donec Bononiam perveniens, quietem postremo consecutus est. Hac in urbe, sub miti Pontificum imperio florentissima, sibi semper constans, anteactae similem vitam egit. Totus in eo erat, ut intime Deo per ardentissimum amorem conjungeretur; ut Sacerdotibus ad aras facientibus interesset; ut aegre se habentes viseret, recrearet, solaretur. Facili semper erat aditu ad audiendos in poenitentiae tribunali Socios, qui sordes animi ut purgarent, libenter conveniebant hominem, dulcissimum juxta, atque expertissimum conscientiarum Moderatorem. Quotidie post prandium domo egrediebatur, Jesum publicae patentem venerationi adoraturus: ne tamen dum iret, rediretque, ad res non Divinas cogitatione evolaret; piaculares globos percurrens, alternis vocibus cum Josepho comite Mariam Virginem salutabat. Ad hujus Virginis Lauretanas aedes in Picenis per id temporis iter egit: cujus itineris ratio tum ex hominis pietate facile patebat, tum potissimum manifesta fuit ex ipsius verbis ad Socium quemdam, sincera fide mihi notum, a quo rem accepi. Haec ad illum Augustinus, ab sua peregrinatione rediens: *Nunc demum de mea caecitate laetus omnino sum; eatenus enim ad Mariam Lauretanam contendi, ut illam enixe deprecarer, visum mibi restitui; dum-*

dummodo tamen, hac amissi sensus recuperata facultate, de nullo unquam vel levissimo crimine reus futurus essem. Caecus perrexi ad illum gratiarum fontem; caecus ab ipso redeo: sit nomen Domini benedictum! Ita profecto mihi expedire, nullus jam dubito. Nihil enimvero nobis mirum est, animi laetitiam in caecitate corporis reperire, qui plura pro Deo pati ardenter desiderabat. Qua nativa erat sinceritate, ipse olim cum Socio quodam familiariter colloquens, haec aperuit: *Equidem saepius Deum oravi, et sane obtinui, ut quot possem Divino fultus auxilio tolerare, tot me pro sua misericordia donaret incommodis.* Atque illud pariter in homine maximum, quod ita erat perpetua vultus hilaritate compositus, ut nulli unquam satis fuerint vel corporis labores, vel animi molestiae ad extorquendam ab ejus ore conquestionem. Is idem perpetuus patientiae tenor alio etiam debet nomine cogitationem percellere: homo scilicet clara praeditus mente, quam cum visu non amiserat; cui charae olim, et quotidianae vitae comites litterae; per tot devectus mundi sibi novi regiones; tot auditis mirabilibus, quae sodalibus convenis assidua erant familiarium sermonum materies; impotens vero satiare cupientes aeternum oculos; utique debuit, ubi ubi accederet, magnopere cruciari ad frustratae curiositatis tormentum. Sed quid non exsuperat hominis fortitudo, qui pridem in animum induxerit, sua quaecunque desideria voluntati supremi Numinis posthabere!

Pontificia tandem lege decretum fuit, Jesuitas habitum deponere. Deposuit nihil obmurmurans Augustinus, et Sacerdotum, quos vulgo appellant Saeculares, insignibus illico distinctus comparuit. Nimirum amabat Societatem Jesu tenerrimus; cujus effata, et mores cum coluisset totos annos quinque et quadraginta, legitimae cuicunque potestati obedire didicerat. Nihil propterea illi antiquius, quam obsequium jubentis nutui praestare, quin causas investigaret. Neque vero, deposita Jesuitae veste, quidquam de pristinae suae vitae piissimo tenore immutavit: eadem illi erat morum compositio, eadem religiosa temporis distributio, idem cubiculi sui, et solitudinis amor: nec enim, nisi vocaret charitas, alienam domum ingrediebatur. Ad tanti hominis gloriam plurimi etiam refert cognoscere, quod Socius quidam paucis ante mortem diebus propalam enarrabat, ut Augustini, jam tunc vita functi, memoriam omnes venerarentur. Fuerat Socius ille per dies aliquot molestia scrupulorum, vanisque terroribus agitatus: ut Deum vehementer sibi iratum, et proinde severum futurum Judicem extimescens, nullibi solatium, nullibi pacem inveniret. Hasce inter angustias, quas, novo ductus errore, nulli mortalium ausus fuerat aperire, videt repente Augustinum cubiculi fores intrantem, blande salutantem, et nulla facta cunctatione, de rebus, quae ipsius animum turbabant, dilucide loquentem. Obstupuit primo ille, qua posset ratione Augustinus an-

go-

gores, et pugnas in arcano afflicti pectore intellexisse; postea vero cum animadverteret, pristinos animi sui fluctus ad ejus verba sedatos omnino, gratias egit clementissimo Numini, nihil profecto dubitans, immissum sibi divinitus hominem, qui latenti morbo medicaretur. Ultimo probavit Augustinum Deus, cum anno millesimo septingentesimo septuagesimo quinto, pridie Kalendas Novembres, ad immortalem e mortali vita Olavarrietam traduxit. Tanto etiam ictui mirabilem opposuit fortitudinem homo toties a Deo tentatus, toties patientissimus adinventus. Fuerat Josephus, ut demonstratum est, ad octo jam annos terra, marique inter angustias, ac discrimina nocturnus, diurnusque illi comes, ac ductor: ut suos pedes, manus, oculos Olavarrietam esse, jure merito affirmaret; caeterum pedes, manus, oculos libenter Domino restituit, qui benigne commodaverat. Neque multo post ulcere in vesica pessimo afflictus, vitae sibi terminum imminere praenovit: et gaudio quidem plenus, et Divinae Misericordiae se se committens, vehementissimis doloribus incredibili fortitudine superatis, obdormivit in Domino, tertio decimo Kalendas Martias, anno supra millesimum septingentesimum septuagesimo sexto; cum ad annos octo, et sexaginta in militia mortalitatis meruisset. Sepultus est ad Sancti Benedicti Bononiensem paroecciam, cujus curam agunt Coenobitae Paulani, vulgari nomine *Minimi* appellati. Praedicabitur ejus memoria, donec su-

perstites fuerimus, qui novimus hominem nulli non charissimum; nec a nobis unquam delebit oblivio, quantis ille charitatis, et comis urbanitatis officiis enituerit; quantaque virtutum omnium, Christianae praesertim tolerantiae Documenta, et propterea sui desiderium posteritati reliquerit.

NICOLAUS PEZA.

Equestri genere majoribus, qui Regibus nostris et aere proprio, et militia inservierant, Nicolaus Peza Mexici natus est quinto Kalendas Octobres, decimi octavi saeculi anno duodecimo; aetatisque primo, et vigesimo Jesuitarum Institutum amplexus fuit. Id annorum adolescens, non indolis levitate, non humanae gloriae cupiditate; sed animo soluto, ac libero, solidas comparaturus virtutes, ac suae juxta, et aliorum saluti consulturus, ad religiosae familiae vexilla se contulit. Magni certe refert, quo accedas animo ad virtutis militiam: etenim tirones, ut plurimum, dum a profanis moribus evelluntur, atque ad novam semitam informantur; assidua, et ingenti secum ipsis conflictatione opus habent, priusquam ad veteranorum maturitatem in tractandis armis pervenerint. Nicolaus autem ab initio tirocinii multa jam stipendia promeritus videbatur, eamque ab illis exordiis operosam, atque apprime piam vitae rationem instituit, cui constanter ad annos plus quadraginta institisse mirabantur postmodum, qui toto fere illo tempore cominus ipsum intueri, atque alloqui familiariter potuerunt. Tiro igitur ferventissimam operam cum pietati dedisset, nihil ab semet desciscere per eos annos visus est, quibus

et humanas, et divinas litteras ex more Societatis edidicit. Pro quo studiorum curriculo plura illi tum a natura, tum ab industria fuere adminicula: facili enim, acuta, et feraci mentis virtute fuit praeditus, atque insuper nihil otio concedens, in his excolendis nativis dotibus accuratissimam diligentiam adhibuit. Ita demum qui cum pluribus ingenio eminenti adolescentibus litterarium stadium cucurrerat, praemio inter primos donatus est, ac publicas theses ad diem integrum propugnavit, honorante palaestram magna nobilitatis Mexicanae frequentia, quae pro gentilitia Pezae claritudine lubens convenit. Provectus inde ad Sacerdotalem dignitatem, libavit hostiam Deo gratissimam purus ille animus, atque, ut mortalium est conditio, plane dignus, qui ad Divinam aram Minister accederet. Ab eo die, in quo propius gustare caelestes delitias datum illi fuit, nunquam abstinuit a re sacra quotidie facienda; nisi aut lecto ipsum affigeret gravis infirmitas, aut iter aliquando agenti omnino deesset opportunitas. Ab eo etiam tempore desudare incepit in sordibus animorum poenitentia expiandis: quam arduam, et laboriosam provinciam singulari ornatus prudentia, et indefessa charitate aggressus est. Nullum ab se repellebat, nullum non hortabatur dulcissimis verbis: quae sane viri humanitas et a primis accedentibus experimento nota, et ab aliis intellecta, quamplures alliciebat, ut ad ipsum se conferrent pro conscientiis extergendis.

Post

Post quadriennium fere ad Magisterium promotus, Mexici, primum, dein Angelopoli philosophiam externis adolescentibus tradidit: quo in munere exercendo constabat liquido, quam ille sedulam adhiberet intentionem, ut commissi suae potestati pueri tum in re litteraria, tum potissimum in virtutibus adolescerent. Quae dictabat in ludo, longa cogitatione, atque impenso studio paraverat in cubiculo: ut profecto nihil esset Pezae scriptis diligentius, purgatius, enucleatius elaboratum; illaque scripta, cum anni procederent, idcirco Socii juvenes expetebant, quod implicatiora quaelibet in iis legebant miro explanata ordine, ac perspicua facilitate. Utrobique habuit auditores, qui magna adstantium acclamatione publicum dedere philosophiae specimen; et qui, vertentibus annis, honori fuere Magistro; quos inter silentio praetermittendum non puto Emmanuelem Gurajam, qui Mexici natus, nomen illustre Societati dedit, atque ex opulentia, et avita nobilitate, voluntarie pauperrimus, et religiosae demissionis cultor eximius, in exilio interiit. Nec laudare omitterem Dionysium Perezium, alterum Pezae auditorem, nisi clarissimis ejus virtutibus locum alibi dedissem. Ab hocce bino philosophiae curriculo ad Morum Theologiam in Guadalaxarensi Collegio edocendam immittitur. Quod munus cum ad annos aliquot maximo civitatis plausu exercuisset; Divinae scientiae Magister, atque insimul Seminarii puerorum, quod vulgo appellant Sanctum

Joan-

Joannem, Rector in eadem urbe designatur. Et hoc illi praecipui fuit sudoris, ingentisque apud Deum meriti, apud homines gloriae theatrum. Quidquid conatus, ac diligentiae mortalis infirmitas adhibere solet ad rem aliquam obtinendam; per totos octo annos adhibuit Nicolaus in Guadalaxarensium puerorum institutione. Nihil, utcunque arduum esset, omittebat, modo posset alumnos ad virtutis, et litterarum amorem excitare: huc omnes ejus cogitationes, huc diutina cum ipsis colloquia, huc proposita praemia collineabant. Praemia, inquam, et suavissimae cohortationes: nullum enim, Peza Rectore, verbum erat de poenis infligendis, quas tristi, et severo ingenio Praeceptores inurere solent, tanquam fingendis adolescentibus idoneas. His omnino remotis, Nicolaus praeclare novit rationem, sibi ab alumnis conciliandae auctoritatis, quanquam ea, quae praestabat ipsis officia, plus essent sollicitae Parentis, quam austeri Moderatoris. Habebat apud se parvum supellectilium indicem, quas unusquisque in Seminarium intromiserant: ne scilicet, ut id aetatis esse solet, aut abalienarent, aut amitterent. A pluribus obtinuit, ut, quas pecunias quocunque nomine sibi compararent, ad ipsum deferrent custodiendas; easque singillatim depositas, necessitatis tempore ministrabat. Potiori cura invigilabat super alumnos, quorum Parentes in urbe non erant: ab his enim Dominica quaque die rem etiam lintearium purgandam excipiebat; quam annotatam in schedula tradebat foemi-

minis, quarum id erat ministerii, et suam unicuilibet candefactam sabbato restituebat. Siquis morbo corriperetur, nullam non tentabat viam, ad solandum, reficiendum, et pristinae valetudini reddendum infirmum. Cuidam male pustulis vexato, die, noctuque sedulus adstitit, nihil exhorrens ad olidum, ac deformatum miseri vultum, nihil parcens vilissimis etiam, et servulo dignis operis; ac vita denique functo, tanquam orba Mater, lacrimas dedit amarissimas. Tantae comitatis, amoris, ac diligentiae Paterfamilias nihil a pueris fieri postulabat, quod ipsorum bono futurum existimaret; quin illi protinus obedirent. Erant in eo Seminario, qui grammaticae, qui philosophiae, qui Theologiae dabant operam; et Nicolaus nihil interrupto labore, nunc ad hos, nunc ad illos, pari tamen ad omnes cura respiciebat, cum uno quolibet de suis agens, tanquam ille solus esset, cujus ipsi incumberet educatio. Quibus omnibus ut satisfacere posset, a necessaria somni quiete carpebat horas: alumnis enim somno deditis, ipse sibi vacabat, atque ad multam noctem, persaepe ultra dimidiam, sive Divina secum ipse volveret, sive aliis pietatis operibus intenderet, solus per Seminarium inambulabat; et cum inde ad spatium horarum circiter quatuor sopori indulsisset, alacriter e lecto surgebat, statimque ab illucescente die totus videbatur in alumnorum bono promovendo. Neque tamen ut bono duntaxat civilis, et litterariae institutionis incumberet; quippe prima

illi,

illi, atque intentissima cura erat, ut ad solidas Christiani hominis virtutes informarentur. Assiduis cohortationibus obtinuit, ut ad caelestem dapem ter in hebdomade accipiendam volentes accederent; ut quotidie ad horae dimidium commentationi sacrae vacarent, mane ad quadrantem horae, ad alterum quadrantem vespere; ut singulis annis in hebdomada, quam Majorem vocamus, piis meditationibus ad Lojolae mentem intenderent: quibus profecto diebus et ipse pro captu puerorum res Divinas ferventissimis verbis enucleabat; et praesto semper erat, exemplo vocans ad statas lectionis, meditationis, et caeterarum precationum horas. Externi etiam homines confluebant per eos dies in Seminarii Sacellum, certe cum voluptate conspecturi juvenum id annorum modestam pietatem; sed maxime admiraturi sedulam, et industriam Rectoris charitatem, qui suam illam familiam tam caste ducebat, tantisque conatibus ad criminis odium, ad virtutis amorem assuefaciebat a teneris. Atque id in causa, cur palam diceretur: ab illo Seminario condito nunquam ibi tantam alumnorum frequentiam visam esse, nunquam tot juvenes virtute praeclaros, nunquam litterarii profectus tantam copiam, tam illustria posteris monumenta. Meminerint adhuc Guadalaxarenses famosum illud triduum, quo magni nominis theses Ascensius Palomera, egregius id temporis alumnus, defendit; nec tempus facile obliterabit alumnum Nicolai alterum, Romo cognomine, qui theses ibidem ingenti Sapientum

plau-

plausu propugnavit. Nihil propterea mirum, quod, proficiscente ab Seminario Peza, tota civitas inclamare audita sit: *Talem hominem, cum semel id muneris aggressus esset, nunquam utique removendum*.

Sed cum Moderator Collegii Sociorum in eadem urbe, honestis quidem de causis, intempestive tamen, posuisset hoc regimen; idem suscipere jubetur Nicolaus. Gubernationem adiit, sane reluctans, cum maximopere fugeret, Sociis praeesse; quorum nedum magistratu, verum etiam contubernio minime dignum se credebat. Caeterum facile coniiciens, brevi se ab onere liberandum, quoniam suffectus interim esset pro tertia duntaxat triennii parte conficienda; patienter admisit dignitatem, quae sibi quidem praeter opinionem acciderat. In illa constitutus, nihil immutare visus est consuetam vitae rationem; nec aut comem, et hilarem vultum, aut demissa, et urbana verba deponere. Intenta, sed prudens religiosae disciplinae custodia; suavis, atque in omnes aequabilis charitas; ad statas distributionis horas non interrupta constantia; solidae fuere bases, quibus non mediocriter laudatam gubernationem instituit. Dignus plane, quem in eo munere coegissent incanescere! Aliter tamen Superioribus visum est; qui, confecto triennio, quod diximus, Primarium Theologiae Professorem ad Angelopolitanos Pezam appellarunt. Magno certe id contigit Sociorum juvenum bono, qui philosophiam in eodem Collegio repetebant: nam ad hominem

nem et scientia clarum, et religiosa pietate venerabilem, et charitate praecipuum, cuicunque patebat aditus; sive in litterariis difficultatibus lumen, sive in animi dubiis consilium, sive in aliis angustiis, quibus obnoxia mortalitas est, solatium exquirerent. Accedentes illos diu, noctuque liberalis excipiebat, idoneisque verbis, hilaritate semper conditis, ad interrogata respondebat. In ludo erudituros adolescentes externos, iisdem fuit dotibus, atque indefessa diligentia, quibus olim philosophiae Magister enituerat. Post annum novo munere donatur in Vallisoletano Collegio, missus a Provinciae Moderatore Francisco Zevallio, qui fabricationi domus intenderet, quam his excipiendis, qui piis Lojolae meditationibus vacarent, erigere coeperat sub Antonii Belosi strenuitate Michoanense illud Sociorum Collegium, partim suis impendiis, partim a beneficis corrogata pecunia. Et Belosus, vir mire diligens, aedificium inchoaverat; sed qui eidem etiam in posterum regendo destinabatur, morte praereptus immatura, sudoris fructum sui colligere non potuit. Uncialium argenteorum ad viginti millia ejusdem domus impensa constiterat; quorum septem millia donaverat magnifica largitate Nicolaus Monterus, in eadem urbe Canonicus optimi nominis, quem in Socios mire beneficum alibi demonstravimus. In perducenda tandem ad exitum, atque omnibus munienda necessariis, illa charitatis officina; mirum fuit, quo conatu adlaboraverit Peza, cui toto vitae tempore, quocun-

cunque in loco pedem figeret, primus erat scopus aeterna salus animorum, per hujusmodi pias exercitationes potissimum procuranda. Magno certe Michoacanensium emolumento credebatur indefessam daturus operam illi muneri homines excitandi ad Creatoris Numinis amorem, ad salutare criminis odium, ad aeternitatis cogitationem.

Et jam paratis omnibus, ante mensem inchoare Praefecturae officium decreverat Nicolaus, cum repente ab opere abstinere jussus est; atque indicta lege de Jesuitarum exilio; alacritate mirabili arripuit immensum iter, per mare, per terras transductus cum Sociis ad Pontificiam ditionem. Facile conjicitur, quid per viam passa fuerit ingens calamitosorum multitudo, qui sibi mutuo dolorem multis adaugebant nominibus, qui etiam navigiorum malis, plurimisque aliis incommodis non assueverant, quorum a nobis nonnulla memorata sunt alibi. Hoc enimvero in Nicolao mirabile, quod subridenti vultu, quo delitias patrii soli reliquit, eodem per tot maris incommoda, et pericula duravit; eodem peregrinus venit in gentes, quarum linguam non noverat; eodem et per varios casus, angustias, morbos, miserias, vitam exulis egit toto fere decennio. Ad Castrum Sancti Petri posito, temporaria datur cura Sociorum, qui tertio probabantur post studia: et hic ,.quantus erat indolis lenitate, ac religiosae disciplinae observantia, liquido constitit in fervidis illis, amore tamen, et suavitate plenis

cohor-

cohortationibus ad Instituti mores retinendos, utcunque ab rebus oppido perturbatis difficultates pullularent. Inde Bononiam delatus, illibatae morum innocentiae, castigatissimaeque pietatis exemplar domi se praestitit; ex qua non pedem efferebat, nisi aut Numen Eucharisticum adoratum contenderet, aut aegrotos inviseret, aut urbanitatis gratia Socium quemdam comitaretur: ipsi enim commercii cum externis nihil erat omnino. Audiit tandem supremi Pontificis vocem, qua per orbem legitime sonante, communem vestem, Ignatianae familiae nomen, collegiorum contubernium, atque avitam disciplinam deserere Jesuitae imperantur. AEquo animo Nicolaus obtemperavit, qui vicariam Christi potestatem inprimis venerabatur. De pia tamen vivendi ratione, de ingenita mansuetudine, de sermonum maturitate, de fervidis exercitationibus nihil remisit; imo frequentior erat in visitandis morbo correptis, et verborum idonea suavitate recreandis afflictis, illis praesertim, quorum aetas, quia juventa robustior, periculis erat propinquior. Porro apud ipsos toto virium conatu promovebat, ne segnis otii turpitudini, neu cuidam vitae oscitantiae florentem vellent aetatem committere. Talem se praebuit ad annos propemodum quatuor ab Societatis excidio, super hujuscemodi eventu nullam unquam emittens acerbam vocem, neque vultu praeseferens aut moestitiam, aut supercilium. Alvi denique fluxione cum aliquandiu laborasset, quam initio minus periculosam

cre-

crediderat; eo vis morbi repente prorupit, ut ad Socios omnes celeriter nuntiatum sit, Nicolaum aegrotare mortifere. Ut erat inprimis charus, et maxima inter Mexicanos auctoritate, accurrunt hi quamfestine, Medicus accersitur, pro vita hominis producenda. Sed frustra jam in humanis remedia: munitur Viatico ad aeternitatem, sacro ungitur Oleo, roboratur postremis Ecclesiae precibus, expirat tandem placide septuagesimo septimo saeculi praesentis anno, aetatis vero sexagesimo sexto. Ad Divae Mariae Magdalenae Paroeciales Aedes in communi Sociorum moestitia tumulatus est.

Qualis fuerit in externa vitae ratione Nicolaus Peza, brevissimis quidem lineis descripsimus: quoniam non fuit ex eo virorum illustrium genere, quos aut diuturni ad gentes in annuntiando Evangelio sudores, aut excellentia Magistratuum, aut munera multiformia decoraverunt. Pauca nunc de moralibus ejus exemplis delibemus: et primum quidem de amore in Deum, qui fons ille mundus est, unde homines derivant puriores, atque excelsiores virtutes. In hoc sacro fonte bibit Nicolaus vehementissimum illud peccati cujusque odium, quod sane demonstravit, et vitam ipse ducens, ut infirmitas mortalium est, ab hujusmodi peste remotissimam; et apud omnes, quibuscum agebat, alacriter promovens vitandi criminis, amandi Numinis rationem. Aestuabat hominis vultus, cum de his verba faceret e suggestu; et sermones ejus familiares in haec potissimum in-

cidebant. Noverat mire industrius, quidquid in colloquiis ageretur, ita rem vertere, ut in argumenta pietatis convenirent. Nec id solummodo, cum sibi res erat apud familiares, et notos longa consuetudine: testis adhuc superest, qui saepe vidit ingredientes ad Nicolaum homines, vendendae scilicet mercis alicujus causa, quos ille aut solo nomine, aut omnino nihil audierat; nihil tamen secius ipsorum animos Deo lucrandi non praeteribat occasionem: quippe solita sensim arte, de criminum foeditate, de iis expiandis confessione, de accedendo ad Eucharistiae religionem, sermones instituebat. In iis etiam, ad quos verba praesens ferre non poterat, amoris Divini flammam accendi annitebatur: nam eo ductus motu, et Mexici, et Angelopoli, et postremo Faventiae (quanquam exul, nec abundans pecunia) suis ipse impendiis curavit, typis mandari ferventissimas precationes pro quotidianis operibus ad Deum immittendis; ut etiam formulam piissimorum affectuum, vulgari nomine *homagia* dicta; quos utique affectus ut animo intento pronuntiaveris, Divinum fere senties ad cordis intima incendium. Nulla unquam occupationum multitudo Pezam impediebat, quominus horae spatium, ex constituto Societatis, quotidie daret sacris meditationibus; quibus etiam intentus erat inter maris incommoda, vix e cubili surrexerat. Cum Corsicam e Gaditano portu navigaremus, a Socio quodam interrogatus: Quidnam illa die fecisset? Ille (sine dubio, ut com-

pro-

probaret facto vir optimis, et candidissimis moribus, nullam profecto excusationem relinqui, siquis vel eo tempore talia non perageret) *Feci nimirum*, inquit, *quod diebus omnibus: nam ut primum evigilavi, ad horam incubui, ut ex more Divina meditarer; deinceps hanc ipsam horam revocavi ad trutinam, et qua potui diligentia, coram Deo inquisivi, num ad rectam legem meditando intenderim? Postremo, quoniam ad aras facere non licuit, verti me ad vota suscipiendi Numen Eucharisticum*. In hoc visitando Numine frequens erat, et fervidus; utcunque opus esset eripere otium ab summis occupationibus. Guadalaxarenses alumni suas instituere pueriles lusiones in illo ambulacro fugiebant, qua transitus erat ad Sacellum domesticum: certo enim intellexerant, illac assidue transiturum Nicolaum Rectorem. Et quid delitiarum, suavissimaeque dulcedinis in illa Divina familiaritate gustaverit, facile noscebatur ex vultu hominis ad modestum fervorem composito. Cum graviorem quorumdam alumnorum noxam moerore olim affectus reprehenderet, haec ad congregatos noxios dicere auditus est: *Equidem apud vos asseverare nihil dubito, non mihi satis fuisse, pluries adorare; ac precari Numen Eucharisticum, ut tantam hanc, qua vos me affecistis, angustiam deponerem; cum alias, quaecunque mihi superveniat calamitas, vix ad hoc Numen venerabundus confugio, sileant interni fluctus, atque ad optatam redeam serenitatem*. Quod cum vehementiori voce, vultuque lacrimis madido

pronuntiasset; mire compuncti animo fuere noxii, Rectoremque subinde Divino ardentem amore, ac donis ornatum coelestibus praedicabant.

Charitatem erga homines anxie diligens excoluit; atque in eo genere ad altissimum magnitudinis fastigium pervenit. Bona hominibus, cujuslibet ea sint generis, procurabat solicitus: consulebat enim, qua poterat, omnium honori; facilis erat ad alienam laudem, nec ad ullius unquam bonam existimationem laedendam aut ipse vergebat, aut alios vergere, se praesente, patiebatur: institutum enim sermonem in alia industrie derivabat; ut primum audiebat, alterius nomen sive personata mordacitate, sive aperte maledico dente vellicari. Quod si satis non esset modestis precibus tentasse, ut ad sermones alios deflecterent; negabat propalam, ultra se auditurum, si talibus obstinate insisterent. Pro bono animorum constanter alacris, atque indefessus adlaboravit, tum sacro ministerio confessionum intendens; tum e suggestu facunde juxta, ac ferventer ad populum dicens; tum consilia postulantibus libentissime impertiens; tum obvios interdum ad castum Dei timorem cohortans; tum in morum probitate adolescentes instituens. In iis etiam, quae corporis bona sunt, egregie misericors adjuvit homines. In amoribus, ac deliciis habebat infirmos visitare, muneribus recreare, suavibus verbis ad patientiam hortari. Saeculi currentis anno sexagesimo, cum febrium lues Guadalaxarae grassaretur, atque ille animadver-

te-

teret, ex infima plebe periclitari complures, quoniam tot aegrotos publica nosocomia non caperent; nihil sibi non tentandum existimavit, quo miseris in extrema necessitate subveniret. Ac primum quidem efflagitavit commodari sibi, pro valetudinario erigendo, vacuum eo tempore Seminarium, quod *Antiquum Tridentinum* appellabatur. Inde corrogata undique stipe pro stragulis, culcitis, Medicis, medicamentis, atque aegrorum cibariis; curavit confestim egenos quamplurimos illuc importari. Atque eum dedit bonum odorem per universam civitatem eximia Nicolai charitas, ut ex Optimatibus plures ultro convenirent, suis ministraturi manibus alimentum, quo tempore prandebant aegroti: quod etiam officium non dedignatae sunt primariae foeminae languentibus e sequiori sexu praestare. Tantae charitatis fama vulgata, Collegii Canonicorum inprimis enituit beneficentia: siquidem unciales argenteos centum, ad singulas hebdomadas persolvendos, obtulere sponte in Pezae charitatis auxilium. Qualibet hora diei vel Socius, vel externus aliquis ipsum vellet alloqui, animo semper alacri, et vultu comi audire paratus erat; imo et obsequia, siqua peterent, nihil praestare cunctabatur. Transeuntes per Guadalaxaram Socios, qui plurimi erant, ut situs est urbis; tum verbis, tum factis liberaliter excipiebat; ut id intuentes alumni, magnopere obstupescerent ad eximie benevolam Rectoris charitatem. Enimvero libentiori hanc animo exercebat, quoties corporis adjumentum porri-

rigens, etiam animi necessitati succurreret. De viro, et foemina, quibus male inter se de matrimonio convenerat, colloquebatur Guadalaxarae cum familiari quodam; qui cum repente lamentaretur, dolendam ipsorum filiae vicem, quae in Parentum dissensione, ruere in praeceps facile poterat: *Et quid*, inquit Nicolaus; *haec ad me nuntiare distuleras? Equidem nesciebam, filiam illis esse; cujus utique providendum est nihil dubio periculo*. Et certe illo ipso die, quoad potuit, enixus est, ac tandem obtinuit, in Virginum gynaeceo collocari puellam educandam; cui suppeditavit etiam pro cubili, et honesto cultu necessaria quaelibet, partim suis impendiis, partim corrogata pecunia. Intellexit olim, egenam quamdam familiam domo egredi non posse; quo enim honeste operiretur, plane non habebant: et cum nihil nummorum Nicolao tunc esset, confestim vendidit, quae magni aestimabat Pauli Sennerii opera, rem fortasse pretiosiorem in pauperrima sua supellectili; atque habita pecunia convestiit miseras: *Ut possint*, ajebat, *ad Sacras Aedes accedere, confessione criminum expiari, et coelesti dape recreari*.

Hoc uno sane nomine haud contemnebat pecunias; ut nimirum opportuno tempore indigentibus distribueret: caetera enim pro victu modico, cultu ineleganti, atque omnino vili supellectili, nihil eas credebat necessarias religiosa ejus paupertas. Hanc virtutem, quam tantis Lojola praedicabat laudibus, dignus ejus-

dem

dem filius ad postremum usque spiritum tanquam Parentem coluit. Nunquam non vidi Nicolaum attritis usu, et pene laceris vestibus; ut profecto suspicari quis posset, illi pactum interfuisse cum sarcinatore domestico, ut quae deteriora scruta essent in officina sua, ea sibi destinarentur. Post extinctam Societatem deposuit quidem habitus formam, Pontificiae legi obsecuturus; ad novum tamen statum totus in ipso veteri panno comparuit; tantum, quod opus erat rebus praesentibus, immutato. Et qualis in suimet cultu, talis etiam fuit, ut supra demonstravimus, in domestica supellectili. Paucis utebatur; erga ea tamen ita erat affectus animo, ut iisdem exspoliari penitus non renueret, cum illa ipsa utilitati alicujus esse intelligeret. Longe semper fuit ab iis omnibus tum verbis, tum factis, quae vel remotissime contaminare possent castimoniae laudem; in qua quidem videmur jure adstruere posse, singulari privilegio donatum fuisse Nicolaum, non ea sentiendi, quae sunt hominis: testis enim est primae notae, atque incorruptae fidei Sacerdos, qui audivit illum aperte dicentem: *Equidem miror, qui possint homines de castimonia vexari*. Attamen obsepiebat oculos ejus gravissima modestia, ne fortasse per illos accederent carnis blandimenta. Nec praeterea inermis erat hominis castitas: corpus enim crudeliter affli-ctabat, tanquam sibi domandum hostem validissimum suscepisset. In Castro Sancti Petri cum moraretur, concubia nocte in domus hor-

tum descendebat, et sua in semet atrociter usus manu, carnes flagello dilaniabat. Externi quidam, eandem domum incolentes, audiebant quidem strepitum, atque initio mirabantur, omnino ignari, quid rei esset: causa tandem cognita, postridie locum, unde strepitus audiebatur, curiose investigarunt, atque herbam infectam sanguine repererunt. Quadam etiam die flagellum ibidem inventum est, nescio quo casu, in ipso certaminis loco derelictum: quod flagellum post longum tempus, venerationis ergo, conservabant. Ab hoc tamen macerationis usu desistere coactus est: nam eo se dilaceraverat, ut tandem in chirurgi manus devenire necesse fuerit, et putrefactam verberationis asperitate carnem, pluries iteratis vulneribus, resecare.

Luculentum habemus testimonium de Pezae doctrina, praesertim in sacra morum scientia, quae tota in quaestionibus de christiano officio versatur, atque a Sacro Codice, Conciliis, Ecclesiae Patribus, Doctoribus, et Jure utroque fere derivat sententias. Utique vir hac in re praestantissimus (quem ab scriptis vulgatis cultissima Italia laudavit) ante annos aliquot asserebat: Nicolaum Pezam in hac morum scientia dignum esse successorem Segurae, Oviedi, Lazcani, Huertae, aliorumque illustrium virorum, qui anteactis aetatibus Mexicanam Provinciam decorarunt. Ipse tamen Peza, judex suimet parum aequus, ut nihili se faciebat, ita et nihili ab omnibus aestimari voluisset. Ea

prop-

propter ad quoscunque demissionis actus paratus erat, ac ferme ingenio proclivis. Illum semel vidimus Angelopoli, cum primarius Theologiae Magister theses publice propugnaret, ab innata sua mansuetudine paululum deflexisse. At quantam pro levissima noxa demissionem! Moris ibi erat, Socios philosophiam repetentes, quo die Professor aliquis in arenam descenderat, prima noctis vigilia ad ipsius cubiculum gratulationis causa convenire universos. Nobis igitur ad Nicolaum intrantibus hora praestituta: *Quid*, inquit, *per Deum immortalem, hoc ad me honoris deferitis vos, qui dignus plane sum ob meam animi impotentiam, non certe officio vestro, sed publica objurgatione?* Atque in eo genere tanta in semet dixit, tam acriter immeritum reprehendit; ut qui testis non audiisset levissimum irae impetum; reum illum fortasse ingentis criminis pronuntiasset. Guadalaxarae Seminarii Rector, cum, ut supra memoravimus, in Majori hebdomade singulis annis et suos alumnos, et externos aliquot excoleret meditationibus Divinis; feria quinta, decumbentium in triclinio pedes religiosa submissione deosculabatur, et postmodum suis ipse manibus, atque impensis, copiosius prandium ministrabat. Magni quidem erat momenti conspicuum istud christianae demissionis exemplum, ut ad sectandam virtutis pulchritudinem magis ac magis incitarentur animi, rerum aeternarum cogitatione commoti. Quo tempore Nosocomium ab semet erectum, ut demonstravimus, re-

regebat; vocatus fuit nominatim, qui vilissimo in tugurio jacentem infirmum confessione muniret. Nihil distulit ille vocanti satisfacere: atque officio praestito, permagnam aegri necessitatem miseratus: *Quid obest*, interrogat, *quominus more pauperum, qualis es, medicamentis juvandus alibi transducaris?* Tum ille: *In publica nosocomia immigrare nolui, quoniam miserias, et poedorem audio, quibus inibi languentes conficiuntur: voluissem profecto in tuum; sed cum in tanta ab illo longinquitate commorer, nec pro solvendis bajulis habeam, neminem inveni, qui gratuito id faceret.* Hic Nicolaus, oblatam sibi occasionem arripiens et charitatem exercendi, et semet insuper contemnendi, cujus desiderio incredibiliter flagrabat: *Agedum*, inquit, *ego sum robustis viribus, et libenter te veham*. Quo vix pronuntiato, supposuit humeros, atque onustus infirmo per viam publicam incedebat; cum forte occurrerunt viri quidam in urbe primarii, qui rem conspicati, atque ad Nicolai charitatem, ac demissionem obstupefacti, continuo levaverunt onus; pro quo, et caeteris quibuscunque in Nosocomium deferendis, ipsi suo sumptu bajulos persolverunt.

In adolescentibus ad pietatem, et litteras informandis, eximia semper usus est mansuetudine; quin ad totos octo annos, quibus praefuit Guadalaxarensi Seminario, pueri unquam viderint in ejus vultu irae motum vel levissimum. Quod sane mirum est in diuturna, et vix interrupta consuetudine cum puerorum globo,

bo, quorum aetas, et incogitantia, ubi maxime plures conveniunt, et se mutuo ad intempestivos ludos excitant, centies per diem Moderatorum stomachum commovent. Nicolaus autem ab suis alumnis nihil unquam petiit, quod non tandem obtineret; sive urgere precibus crederet opportunum; sive blandus adhiberet imperia. Eandem facilitatem in alumnis invenit, pro pluribus immutandis in Seminarii disciplina, nonnullisque oneribus, quae utilia censuit, injungendis: ad quae nova onera calcitrare pueri solent, nisi omnino poenis terreantur. Magni videlicet refert in puerorum institutione, si Jesu Christi spiritu, qui spiritus dulcedinis, et lenitatis est, amorem illorum, atque auctoritatem tibi compares! Haec Rectoris mansuetudo, atque actuosa sedulitas in educandis alumnis cum fama vulgaretur per universam Guadalaxarae ditionem, suos liberos maxima cum voluptate Parentes deferebant in Seminarium Sancti Joannis; et sibimet gratulabantur, quod illos apud hominem collocarent, a quo certe imbuerentur iis omnibus, quae possunt ea aetate adolescentes perdiscere tum in casto Dei timore, tum in scientiarum laude, tum in civili disciplina. Et ille quidem sui muneris gravitatem assidua cogitatione volvebat, probe intelligens, maxime interesse totius Reipublicae, ad quos mores, ad quam doctrinam a teneris informemur. Atque ea propter, cum a Seminario remotus, amicum audiret sibi gratulantem, quod a permolesto cum pueris contubernio solutus esset,

in

in haec illico respondit: *Ego vero gaudebam inprimis, hoc fungi munere, quo nimirum aliud non video accommodatius ad promovendam ex Sociorum Instituto tum Dei gloriam, tum publicam utilitatem*. Revocabat saepe in memoriam, sibi instituendos tradi, qui sive ad mercaturam, agriculturamve, sive ad quaevis alia civilis, aut militaris vitae munera, sive ad Tribunalia, sive ad Sacra Ministeria, pro sua quisque conditione, adscriberentur, tales fere futuri essent in constitutione Reipublicae, quales ipse tunc adolescentes effingeret. Tam frequenti, et seria meditatione de officii sui gravitate id assecutus est, ut quidquid semel fecerit in pueris gubernandis, nunquam facti poenituerit. Testis adhuc est Bononiae, quocum ille agens familiariter, persaepe asseveravit: *Nullius rei conscientia se solicitari pro toto tempore, quo juventutem instruxit: quod si rursus eidem muneri praeesse imperaretur, non aliter praefuturum*. Utique Guadalaxarenses Nicolai Pezae memoriam multis nominibus posteritati mandabunt; qui bono ipsorum tot annos egregia sedulitate insudavit.

JOSEPHUS RAPHAEL ÇAMPOJUS.

VIr sapiens, certe inter primos nostri aevi, qui natus illo tempore, cum scientiarum sapor optimus in Novohispanis torpuerat; ipse sibi, nullo magistro, nullo ductore, palatum eruditum conformavit, optimasque litteraturae universae institutiones per se se solus detexit; omnino dignus est, quem in Mexicanis illustribus memoremus. Hic fuit Josephus Raphael Campojus, qui patriam habuit oppidum in Cinaloviis, quod indigenae vulgo appellant *Los Alamos* ob copiosas ibi loci populos; atque inde Campojus ipse patriam suam, aptato quidem nomine, latine Populopolim nuncupavit. Erat Populopolis ex illis remotis oppidis, quae adversus finitimos indigenas, Hispanae dominationi non subjectos, in praesidium excitabantur; atque a primis illis praesidiariis, bene de Rege Hispano, ac de publica re meritis, originem trahebat gens Campojorum. Haec sane, ut posita longissime a delicatulis opulentarum urbium moribus, tota coaluerat, et se se perpetuaverat ex animosis, et praestanti vigore hominibus, qui quasi Spartanis legibus vivebant; quas tamen Christianae Religiones, omniumque pro victu, et honesto cultu rerum abundantia temperaverant. Et quan-

ti

ti sit nominis gens Campoja inter oppidi patritios, profecto argumentum est, quod apud ipsam diversatus fuerit tempore non modico Josephus Galvezius, Marchio Sonorae, cum a Carolo III. Rege Legatus, eam Provinciam perlustravit. Ex his erat Franciscus Xaverius Campojus, vir avita fortitudine magnanimus, ingenio clarus, et moribus honestissimus, qui et genuina humanitate benevolentiam, et justitiae propugnatione honorem sibi a civibus conciliavit. Uxorem duxit Andream Gasteluam, ibidem natam loco nobili; cujus familiam primus in oppidum illud introtulit Gasteluus quidam, quem in suis famosis operibus commemorat Antonius Perezius, olim a secretis intimis Philippo II. Hispaniarum Regi: qui Gasteluus Philippo prius acceptissimus, ab ejusdem favore postea decidit, sibique commorationis locum, atque ab irata fortuna perfugium in remotis Populopolitanis quaesivit. Ac tempore procedente, fuere in cognatione cum Campojis, et Gasteluis illustria nomina Mesarum, Imasiorum, Opotlae Comitum, Aldamarum, aliaque ex nobilibus Mexicanis.

Xaverio Campojo, et Andrea Gastelua Parentibus, quorum fuit matrimonium oppido foecundum, natus est Josephus Raphael decimo octavo Kalendas Septembres, anno 1723, fuitque in ejusdem oppidi Paroeciali fonte ad Sacra regeneratus. Pueritiam egit, ut solent plerumque suppares in ejusmodi oppidis ab elegantiorum urbium strepitu remotioribus; qui-

bus

bus in oppidis apud Americanos fere videas mores illos ingenuos, et nobilem sinceritatem, quae primaeva mortalium saecula distinguebant. Simplicissima probitas, hospitalitas, generosa largitas in propriis suis dividendis cum amico, cum vicino, cum paupere, sic etiam honestae libertatis amor, quae decet humanam Dignitatem, obsequiosaque inprimis reverentia tum Summo Principi, tum ejus vices agenti cuilibet tributa; hae sunt virtutes ibi gentium pene vulgares. Atque ea de causa, qua Caesar ajebat, Belgas esse incolarum Galliae fortissimos, quod nimirum ad ipsos raro commeabant, qui ea, quae ad effoeminandos animos pertinent, importarent; hac, inquam, de causa, in illa ab urbibus cultiorum hominum distantia fortissimi juvenes adolescunt. Profecto ut alibi passim nemo est, qui velit ingenio cedere; sic apud eas gentes nullum invenias adolescentem, qui se viribus inferiorem suppari fateatur. Maximam partem lacte, frumento, carnibus vivunt; sed longe nimium ab Apicianis condimentis, quae plus excitandae gulae, quam corpori nutriendo inventa sunt. Vitulum agitare, lacessere, spiculis confodere, cornibus adorientem lancea excipere, vel mira dexteritate corpus flectere, ac periculo se subtrahere; ferocem eumdem, et renitentem, sibi supponere, in ipsum inscendere, atque instar equisonum insidere, ac diu manere in pelle miris modis versatili; firmiter in equo haerere, concitatissimo cursu properare, miraque in hoc

ge-

genere facinora exequi, quae cernentes obstupescunt advenae talium insueti; pedibus etiam currere, luctari, saltare, nudis manibus pila ludere, varii generis arma tractare, gravem alutam vestire, ac cetera se protegere adversus finitimos in praelio saggitarios; haec sunt exercitia, quibus ibi terrarum juvenes instituuntur, et quibus excellere jam solent, cum vix annos pubertatis attingunt. Mirum certe non est, si ab his in tenera aetate institutionibus viri prodeunt ut corporis viribus fortissimi, sic animi dotibus honestissimi, cives Reipublicae utilissimi, datae fidei tenacissimi, ac Dominatoribus fidelissimi.

His moribus educatum fuisse Campojum, satis demonstrarunt et vires corporis, quibus a prima juventa fuit famosus; et robusta illa virtus, qua toto suae vitae cursu fortunae semper inimicae occurrit interritus. Aetatis annum vix octavum attigerat, cum Mexicum a Parentibus ire jussus, milliarium iter fere mille, et quingentorum, fortis, et vegetus equitavit. Mexicum ingressus, paucos dies divertit ad cognatos; a quibus ex Patris imperio transivit ad Bethleemitas, quae familia Coenobitarum est, a quodam Betancurtio, egregiae sanctimoniae viro, in Americanis excitata. Gubernarat Betancurtii conscientiam Emmanuel Lobus, Jesuita Neocantaber, atque adeo Campoji civis, cum in Nova Cantabria sit Populopolis. Hic Lobus leges familiae constituendas Betancurtio conditori dictaverat; ad quarum normam prima ta-

lium

lium Coenobitarum institutio in id tendebat, ut pauperes a morbo recentes alerent, ac recrearent, donec illi penitus convalescerent. Postea vero utilitati publicae consulentes, postularunt, atque obtinuerunt, ut ipsorum curae adjungeretur puerorum Seminarium, quos in litteris elementariis erudirent. Ad hos convictores adlectus Campojus, et legere, et scribere, et calculum, ut puerorum est captus, brevi condidicit sub Magistro, cujus nimia severitas, parum abfuit, quin illum cogeret, ut fuga sibi consuleret. Ab his autem translatus ad ulteriores litteras, grammaticae dedit operam in Divi Ildephonsi Seminario, semper ab ingenio laudatus, et publicis honoribus cumulatus. Erudiendus inde philosophicis artibus, inchoavit curriculum anno 1737. sub Michaele Quixano Praeceptore.

Fuerat Quixanus, antequam Societati nomen daret, celeberrimi nominis in jureconsultis Mexicanis. Ortus claro genere, atque illustrissimis cognationibus ad majora evectus animo, mundanae vanitatis documentum habuit occasione nuptiarum, quas optavit, ac petiit, cum Virgine summae claritudinis; a quarum spe dejectus, in Jesuitarum tenuitatem se recepit, atque insigni animi demissione veluti repuerascere voluit, et consueta curricula Theologiae studiorum conficere. Hic ergo vir aetate jam gravis, atque in humana consuetudine affabilis admodum, et jucundissimi leporis; designatus ad philosophiam tradendam, extrema intolerantia, et fa-

et famoso Mexici rigore cum auditoribus usus est. Campojus autem excelso quodam animo a natura insignitus, liberalioribus, atque humanioribus institutis in patria educatus, et Ludi Magistri ad Bethleemitas duritie jam antea exagitatus; novum hunc Magistrum et verbis, et factis asperum, omnino sibi recusandum existimavit. Nimirum scintillabant in ejus clarissima mente praematurae cognitiones humanae ingenuitatis, quam Magistri debent suis auditoribus; assidua volvebat cogitatione, se quidem hominem esse, Magistri similem, ratione utentem, nec supercilio, comminationibus, et flagris more servorum retundendum, sed benevolentia, et honestate proposita, more ingenui juvenis ad christianam, civilem, et litterariam institutionem alliciendum. Sed nondum erat ita castigato judicio, ut plane intelligeret, obedientiam iis deberi, qui te gubernant; nec idcirco licere subditis, ab officio deficere, quoniam ille, cui subsunt, rationem sui muneris exercendi vel non animadvertat, vel ignoret, vel etiam contemnat. Quamobrem cum sibi firmiter in mentem induxisset, ejusmodi Magistri severitate, ac rigore dignitatem humanam injuste laedi, proteri, et conculcari; clanculum praeripere se ab Seminario, et vitae rationem alteram experiri constituit.

Mortalium nemini consilia sua communicavit; solus aufugit; in angulo nescio quo tamdiu delituit, quoad togam, et trabeam, quae sunt alumnorum insignia, dissuit; panni reseg-

mina

mina vili pretio vendidit; galerum coemit, et sola inducula, nobilis ephebus, decimo quarto aetatis anno, pedes iter arripuit in Guadalupanas aedes tribus ab urbe Mexico milliaribus. Argenteis fibulis ibi divenditis, incertus, quo iret, viarum ignarus, fortunae se commisit, et fortuito via illa processit, quae ducit Tepotzotlanum. Sed post modicum itineris, operae pretium duxit calceos exuere, qui nullis constricti fibulis, plus incommodi, quam adjumenti peregrinanti afferebant. Iverat jam viginti fere milliaria, cum imprudens offendit in agrestem viduam, atque inprimis hebetem, cujus parva domus ruri erat Tepotzotlanum inter, et Quauhtitlanum. Audet illam alloqui, offert famulatum, de mercede conveniunt, et ecce Campojum ab litteris in obsequia domestica translatum. Ejus curae commissum illico fuit, aquam e puteo extrahere, porcis, et gallinis nutrimenta porrigere, aliaque id generis vilia, quibus nunquam assueverat. Verum haec servilia praestare officia non nimis patientiam ejus fatigabat; longe intolerabilius illi fuit, quod passim contendere, ac fervidis verbis concertare cum hera insipiente opus erat, quoties haec aut stulte jubebat aliquid, aut imperiose loquebatur. Campojus enim ab eo jam adolescentiae tempore miram gravitatem praeseferens, et summo indolis ardore conformatus pro vero, rectoque vel in minimis amplectendo, et propugnando; multis argumentationibus conabatur evincere, ut ab suis ineptiis hebes vidua resipi-

sceret. Atque inter plura ridicula in hoc ejus famulatu, quae postea narrabat viro sibi familiarissimo, vidit luce clarius, quam maturo consilio Tullius dixerit: *Turpe est*, *Sapientem ex insipientium sermone pendere*. Interea vero Christophorus Escobarius, qui Rector gubernabat Divi Ildephonsi Seminarium, et cui cum Campoji Patre, et cognatis peculiaris erat necessitudo; nullum non movebat lapidem, ut profugus adolescens reperiretur. Datis litteris per loca circum finitima, vulgatum ubique fuit, filium familias Mexici desiderari, cujus aetas, aspectus, conditio, statura, ut in re simili moris est, describebatur. Fama tulit nuntium ad agrestem viduam Campoji heram, quae suspicari jam coeperat, suum illum famulum et litteras edoctum, et longe aliter, quam apparebat, altum fuisse, atque educatum. Ergo re cum aliquo Jesuitarum Tepotzotlani clam communicata, litterisque nuntiis ab illo Mexicum ad Escobarium immissis; nulla mora in locum veniunt, qui cominus explorent viduae famulum; et patefacta fraude, in cognatorum domum profugus juvenis delatus est. Mira sane tum in Campoji cognatis, tum in Escobario prudentia eluxit: reducem humaniter excipiunt; de fuga interrogant; ille autem sincere, firmiter, et cum dignitate respondet: se quidem studiorum curriculum minime recusare; utique vero ab aspero supercilio, poenisque severissimis, certe indignis aut Magistro infligente, aut discipulo patiente, abhorrere. Omnino patuit, ab eo

ab eo jam tempore judicium adolescentis maturescere, ad eamque indolis firmitatem conformari, qua semper postmodum vixit, et quam demonstrabimus in sepulchrum severe intulisse.

Igitur Escobarius, communicatis consiliis cum Campoji necessariis, removendum esse constituit ab incepto illo philosophiæ curriculo; cui sane ut insisteret post memoratos eventus, periculose, atque ægerrime cogeretur. Eo praesertim, quod jam proxime instauranda forent studia post autumnales ferias anni 1738, et renuntiatum philosophiae Magistrum Josephum Avilesium suavis indoles, et concinna urbanitas exornarent. Hujus Magistri benevolentia mire allectus Campojus, anteactisque casibus edoctus, animum serio advertit ad litteras, et continuo coepit, plusquam ea solent aetate adolescentes, excellere. Forte convenerant in auditoribus Avilesii plura ingenia non vulgaris magnitudinis; eaque inter Josephus Campojus, Didacus Abadius, et Josephus Huerta mirum in modum eminebant. Quanto fuerit Abadius ingenio, testantur ea, quae supersunt, ab hoc viro clarissimo sapientiae monumenta; cujus etiam vitam cum alius Mexicanorum scripserit elegantissimo stilo, et purissima latinitate, satis jam illustratum Abadium, nos ab ipsius laudibus abstinentes, relinquimus. Huerta vero, jam cum philosophiae studeret, aetate maturior erat; utpote qui Tolucae, quod oppidum est in Mexicanis, grammaticam, humanioresque litteras publice tradiderat, Magistri sui vita functi

successor: ut solebat Athenis ad Magisterium appellari, quasi in haereditatem legitimam, qui ex demortui Praeceptoris auditoribus caeteros antecelleret. Nec modica cum laude muneri satisfecerat; sed cupidus erudiendi se se Majoribus artibus, Mexicum immigravit, atque in Divi Ildephonsi Seminario suamet sponte alumnus, ad Avilesii discipulos annumeratur. Hic ergo aperta inprimis mente praeditus, et judicii maturitate nimium quantum adjutus, totis conatibus in philosophicas litteras incumbebat, et cum Campojo vix pubescente, atque Abadio prorsus impubere, de palma certabat. Anno Magisterii secundo rapida febri correptus vitam posuit Avilesius, cujus oppido amabilis viri desiderium fuit discipulis omnibus acerbissimo luctui; sed renuntiato, qui locum impleret, Petro Realesio, viro summae diligentiae in rebus omnibus gerendis, obtineri quidem potuit, ut ab optimis institutis, quibus plus anno in stadio cucurrerant auditores, omnino nihil deficerent. Campojus quidem quotidie crescebat in explicatione mentis; et superest oculatus testis, qui apud nos asseruit: Campojum id aetatis juvenem ad supremum peripateticae laudis fastigium pervenisse.

Nec solummodo suos inter condiscipulos, aliosve ejusdem Seminarii alumnos famosum erat eo tempore Campoji nomen; sed occasione mutuae consuetudinis, et philosophicorum certaminum cum aliarum scholarum auditoribus, facile fuit locus, ut extra domesticos pa-

tie-

rietes litteraria ejus gloria propagaretur. Constitutum fuerat ab Academiae Mexicanae incunabulis, ut philosophiae dantes operam, tametsi Magistros alios audirent, suum quisque in propria schola, cuncti tamen ante destinatum privato gymnasio tempus quotidie mane publicos Academiae Doctores frequentarent. Opportunum sane consilium, tum ut honos accederet Academiae, tanquam communi scholarum omnium Parenti; tum ut juventus abundantius institueretur; tum vero ut adolescentes, initis inter se amicitiis, aniles quasdam narratiunculas de diversae doctrinae hominibus contemnerent; prodire in solem, et pulverem assuescerent; noscere se se mutuo condiscerent; a praejudicatis opinionibus abstinerent: aliter enim non modico litterarum detrimento mutua partium odia de quisquiliis fere, atque tricis misere, ac foede nascuntur, foventur, inveterascunt. In illa quidem Academia totam horam quotidie communem Doctorem audiebant diversarum scholarum discipuli; et suam unusquisque doctrinam alternatim sub eodem propugnabant. In his autem disputationibus nemo erat omnino, qui publica illa gymnasia celebraret, ac meritum Campoji non magnifaceret. Praecipuas vero laudes habuit ab Ignatio Rocha, qui tum ibidem agebat Primarium philosophiae Doctorem, et postea conspicuis adauctus honoribus toto vitae cursu, postremo vitam clausit ante annos aliquot Michoacani Pontifex, quod tertium est Dignitate in Novae

Hispaniae Sacerdotiis. Eodem tempore, quo publice merebat Academiae Doctor, tradebat Rocha philosophiam in Seminario, cui nomen est Tridentinum, quia constitutum ad leges, et mentem Sacrorum Patrum, qui Tridenti convenere. Ibi Rocha instituebat juvenes ingenio claros, in quibus erat ómnium primus ut doctrina, sic etiam amabili quadam morum facilitate, Valentinus Narrus, qui postea multis ornamentis ab singulari meritorum excellentia cumulatus est, hodieque inter primos Dignitate sedet in Mexicano Canonicorum Collegio. Narrus, et Campojus diversis instituti doctrinis, non infrequenter, communi apud utrumque gloria, sub Rocha communi Doctore manus in Academia conserebant.

Et sane omnibus vel naturae, vel doctrinae praesidiis instructus erat Campojus, ut primum sibi nomen ubi ubi compararet; ab eo enim tempore quamdam oris dignitatem praeseferebat; miram a natura gravitatem acceperat, quin tamen ullum aut verbis offenderet, aut nutu contemneret; urbanissimum se se praestabat omnibus, etiam cum fervide disceptaret; clarissime, ac profundissime percipiebat, quidquid intelligendum sibi proponeret; admodum expeditus erat in iis enuntiandis, quae mente perceperat; alacer inprimis, et nulla mora, cum propugnaret, argumentationis nodos dissolvebat, ea quidem evidentia, et perspicuitate, ut plerunque adversarius obmutesceret; cum autem ipse argumentaretur, efficacissimus, vehemen-

hementissimus, et promptissimus erat, ut responsa refelleret. Has vero dotes, atque animi virtutes cumulabat sonora, suavis, et dignitate plena vox, cum ille defenderet; ut etiam, cum impeteret, elata, clamosa, indefessa, nunquam rauca, sed quae longo concertationis tempore fulminare semper videbatur. Ita sane cum ad stadii metam pervenit Campojus, acclamatum illi fuit tanquam insigni, et primi nominis peripatetico. Philosophiae coronidem imposuit publica thesium propugnatione; quo quidem die comparuit in palaestra litteraria, non ut ea solent aetate juvenes: nihil enim adversarios reformidavit; instar Magistri doctrina ornatissimi locutus est, ac sui admirationem apud omnes excitavit. Quod profecto fuit argumentum, in postrema praemiorum distributione justissime pronuntiasse Magistrum Realesium, a quo tot inter alumnos, ingenio praestantes, honorem primarii Campojus individuum cum Abadio nactus est.

Sed erat Campojus ex his adolescentibus prudenti, et solido consilio, quos nec fortuna inebriat, nec rerum scientia; ut vel mundanis honoribus, vel novis eruditionibus, animi salutem posthabeant. Quare appellatus a Numine in Jesuitarum tenuitatem, continuo valedixit Parentibus, et spei Dignitatum, quas a doctrina, et genere ipsi aliquando fore debitas, nemo unus dubitabat. Sexto Kalendas Decembres, anno 1741. Tepotzotlanum contendit, ubi post biennium religiose confectum, et tria

vota

vota de more nuncupata, politioribus litteris in ejusdem Collegii Seminario vacavit. Et hic, maturescente in dies judicio, repente affulsit Campoji menti lumen, quo solo duce, velut a tenebris eripuit se se, nec alio jam opus habuit Magistro, ut universae litteraturae saporem in vero, et genuino sensu persequeretur. Ut fuerat acerrimus in philosophicis disputationibus, quod supra demonstravimus; colebat, ac magni aestimabat Aristotèlem, cujus alumnum idcirco se crediderat, quoniam jurgio contendere, ac vociferari super paucis thesibus, fere non utilibus, in gymnasio didicerat. Ab hoc mentis obsequio, quod peripateticorum Principi tribuebat, obortum illi est desiderium, ipsius rhetoricam, et poeticam legendi. Quod cum intente faceret, omnino attonitus vix oculis praestabat fidem, quam alius esset Aristoteles, quem modo legebat, ac meditabatur, ab illo Aristotele super inanibus pugnace, quem ipse sibi mente finxerat a falsis eorum narrationibus, qui se se Principis philosophorum sectatores profitebantur. Ejusdem Aristotelis Topica, quae suavissime, copiosissime, atque ornatissime Tullius conscripsit, volvebat intento animo Campojus: a quibus, ut ab Academicis, aliisque libris Romani Oratoris, mirum est, quanta lumina in suorum studiorum usum exhauserit. Ita quidem solo suo judicio, nulla Magistri voce, perfectissime assecutus est, quantum intersit inter verum Sapientem, et perpetuum de inanibus disputatorem. Atque ab iis

pro-

profecto sanioris litteraturae velut exordiis, eo praesertim nomine magnifecit Aristotelem, quod sive rhetorica, sive poetica, sive logica, sive politica, sive alia quaevis tractasset; totus fuerat philosophus iste, ingenio sane maximus, in solida veritatis indagatione.

Potissimum autem valuit, ut praecelsa hujus adolescentis mens magis, magisque illustraretur, profunda illa meditatio, quam in optimi saporis auctorum lectione adhibebat. Solus in horto domestico quadam die spatiabatur, manu tenens nescio quem Ciceronis librum, certe ex philosophicis, quem intentissima cogitatione secum volvebat; cum repente delibutus incredibili gaudio, quadamque lucis novitate velut in aliam regionem introlatus, exclamavit: *Hic profecto vir mentis est solidissimae in suis argumentationibus! Hic inter primos doctrina, quos unquam habuit litteraria respublica, totis erat conatibus, ut veritatem assequeretur! Sanctam veritatem! Quandonam resurget illa aetas aurea, cum homines erimus ita sinceri, ut in disceptationibus interdum fateamur, id quidem dubito, id fere non assequor, id penitus ignoro?* Ab hoc temporis momento nihil fuit in Campoji studiis nisi omnino solidum, atque a praejudicatis opinionibus defaecatum: et hinc amplissimae immensitatis pelagus ad rectam in omni scientia ratiocinationem mente prospexit. Quare solemne semper habuit, quidquid legeret, quidquid condiscere aggrederetur; veritatem ubilibet expiscari, omnia minutatim inquirere,

xere,

rere, intricata enucleare, certum a dubio discernere, inveterata hominum praejudicia contemnere, ab una in aliam cognitionem progredi, parum consentanea vocabula eliminare, quae nimirum propositam quamvis thesim implicant, atque obscurant. Quibus profecto institutis, quantus postea fuit Campojus vel in politioribus litteris, vel in philosophicis, vel in theologicis, vel in geographicis, vel in geometricis, vel in Morum scientia, vel in arte sanissime judicandi, vel in Sacra eloquentia, vel in omnigena eruditione (in quibus certe omnibus fuit vir mirae magnitudinis) quantus, inquam, in his fuit, totum semet conformavit ipse sui discipulus, et Magister. In latinae linguae, cui tunc repetendae dabat operam, elegantia, nitore, ac puritate, ut etiam in assidua primi nominis auctorum lectione, atque eruditissima ipsorum cognitione ita excelluit, ut quanquam Musae nonnihil hoc in genere faverint Novo hispanis; illi tamen parem ullum habuisse hoc saeculo Mexicana Societas non videatur. Satis Italis notus est Didacus Abadius ab suo Carmine de Deo, quod eleganti, atque admodum propria latinitate scripsit: hic ergo in quadam Ludicro-seria dissertatione, quam typis italicis commisit, luculentum affert testimonium de Campoji familiaritate cum optimo quolibet in Latinis antiquis; ut etiam de prodigiosa facilitate, qua tenebrosos, atque implicatos aliquorum locos planius prae quovis interprete, ac dilucidius explicabat. Superest Mexicanus alter,

ter, qui purissimus et ipse, ac venuste facillimus latino calamo, saepius apud nos asseveravit: hac in laude Campojum ad Sadoletos, Muretos, Aguileras, Cordaras, jure merito annumerandum.

A Musarum delitiis ad philosophiam repetendam missus est Angelopolim; et post annum translatus ad Sanluisienses in Potosinis, grammaticae Magister. Muneris gravitatem, atque ipsi satisfaciendi rationem omnino intelligebat: proinde totis incubuit viribus in adolescentium suae curae commissorum institutionem. Eos quidem praeceptis, cohortationibus, et viis omnibus, quae dignitatem hominis ratione utentis non dedecent, ad studium alliciebat; et rei grammaticae utilitatem, ut eminentem litteraturae fabricam superimponerent, praedicabat. Sed potissimum praeibat exemplo: indefessam enim, atque alacrem Magistri operam, in libris diu, noctuque desudantis, aut ipsi coram intuebantur, aut ab oculatis testibus inaudiebant. Habuit in auditoribus praecipue charum ob judicii maturitatem, et miros in iis litteris progressus, Joannem Franciscum Iragorrium, post annos aliquot ad Socios adscriptum; quem et nos ab animi fortitudine, ac religiosis moribus praestantem, suo loco describemus. Per id temporis justa fuere Sanluisii persoluta Philippo V. Hispaniarum Regi; ac funebrem orationem ab robusta eloquentia, et nitida latinitate celebratissimam Campojus publice pronuntiavit.

Post

Post muneris biennium summa cum laude confectum, appellatus est Mexicum, ut in Divorum Petri, et Pauli Collegio cursum Theologicum inchoaret. Multam hoc in genere doctrinam, immensamque in scientiis aliis eruditionem attulerat: quam sane affatim consummavit, opera studio data diligentissime, a quo nihil fere vel diu, vel noctu cessabat; nisi vel domestica disciplina, vel mortalis infirmitas ab libris reluctantem avelleret. Nullum erat in humanis oblectamentum, nisi litterarium quid saperet; quod sua cura Campojus dignaretur, vel quod ejus curiositatem aliqua ex parte titillaret. Omni alia solutus cogitatione, semper totus erat, quasi rerum humanarum, et suimet oblitus, in libris evolvendis, et profundissime commentandis. Qui sane animus mirandum in modum abalienatus, eo jam devenerat, ut interdum objurgatus a Collegii Ministro, quod, aere campano vocante, ipse non venisset in comitatu Sociorum; suis duntaxat intentus cogitationibus, Campojus responderit: Audi, Pater, elegantissimam Tullii periodum, vel mirabilem Euclidis demonstrationem, vel oppido solidam Petavii doctrinam, vel tale quid afferret liber, quem tunc forte manu tenens meditabatur. Diurnam suam commorationem, quibus praesertim diebus ab schola dabatur otium, fere fixerat in domestica bibliotheca; quae quidem erat summae amplitudinis ab optimi nominis auctorum copia, tum quos remotissima laudavit antiquitas, tum quos christiana saecula usque ad exitum decimi

sexti

sexti Magistros coluerunt: eorum autem auctorum, qui ab eo tempore ad nos floruerunt, certe omnes principes ibidem reperires. Atque id quidem in omni scientiarum genere, vel sanctae religionis Doctores, vel Theologos, quos vocant *Scholasticos*, vel quos *Polemicos*, vel Jureconsultos, vel de Christianis moribus quoquomodo agentes, vel sacrae eloquentiae Magistros, vel historicos, vel omnium nationum, et linguarum oratores, et poetas, vel philosophos, vel criticos, vel mathematicos quaereres. Immensum hunc thesaurum assidua manu versavit Campojus, atque in supparum notitiam traxit librorum multos, qui diu dormierant in pluteis obliti fere, ac lectoribus intacti. Usu vero quotidiano tantum denique valuit, ut totam bibliothecam, quanta erat, perfectissime nosceret; nec minimum haereret, cum rogaretur, quo loco situs, aut quantae molis, aut quanti meriti esset, aut quid agitaret unusquilibet ex illis auctoribus? Multus etiam tractavit geographicas tabulas, et pulcherrimos globos totius orbis descriptionem continentes, longam jam aetatem intactos, et fere teredinibus derelictos. Ab hoc nondum viro Campojo quamplurima biberunt lumina in studiorum communione (ut de mortuis duntaxat loquamur) Galianus, Abadius, Clavigerus, Parregnus, Alegrius, Cerdanus, Davila, Cisnerus, aliique ingenio clarissimo adolescentes, qui tum temporis ad novam scientiarum informationem feliciter erupere in Mexicanis. Quos quidem, tunc adolescentes, cum

po-

postea viri jam essent inter primi nominis litteratos, fateri non pudebat (quod nosmet ab eorum aliquibus intelleximus) magni sibi fuisse ad perfectum litterarum saporem, quod ipsis ea tempestate cum Campojo commercium fortunate contigerat. Nec eorum certe ulli contexere laudes quis possit, quin Campoji nomen semel, et iterum inaudiatur. Et sane asserere fortasse quis audeat, ut aevo suo Socratem ad genuinam philosophiam veluti creandam, et propagandam; ita et suo Campojum ad scientias in Sociis Mexicanis instaurandas natum fuisse.

Haec litterarum instauratio non tanti stetit Campojo, quanti sua Socrati philosophia, in cujus propagatione vitam posuit. Non, inquam, tanti stetit Campojo; sed utique immensam aerumnarum segetem in se venire conspexit; quibus profecto cedere debuisset, nisi et illum magnanima fortitudine constituisset, qui Deus ipsum ad arduos conatus excitaverat. Inveterata politioris litteraturae corruptione vitiisque nonnullis in scientiis tractandis pedetentim in scholas ibi gentium inductis; Campoji nomen, tanquam novitatem admodum periculosam inferentis, aut aerea scientiarum spectra consectantis, aut pueriles nugas agitantis, a nonnullis proscindebatur. Depravati ejusdem saporis causa mos ibidem inoleverat, ut in annuo periculo, quod subibant Socii Theologiae vacantes, eorum, quae Magistri dictarant in gymnasio, minutissima ratio exigeretur. Campojus quidem, cujus tota mens erat in studiorum sublimium profun-

dita-

ditate, fere sui potens non erat, ut in ejusmodi minutiis pretiosum tempus consumeret. Atque ita factum est, ut, qui Divum Thomam, qui Suarezium, qui Petavium assidue volvens desudaverat; qui Melchiorem Canum, sibi habitum in charissimis, non semel, aut iterum duntaxat legerat, sed longissimis meditationibus comprehenderat; qui Theologiam ea jam aetate tradere fortasse potuisset; factum, inquam, est, ut hic tanta doctrina juvenis in annuum periculum cum venisset, dictatorum, quae non attigerat, suis illis auctoribus immersus, rationem reddere non potuerit; atque ea propter, solemne judicium Magistris pronuntiantibus, atro calculo fuerit notatus, inflictaque publicae correctionis poena, serio monitus, ac damnatus, ut post constitutum tempus denuo veniret in periculum ex unis scholae chartis habendum; quo nimirum communi morum disciplinae consuleretur. Temperantissime tulit infortunium; transegit secum ipso, ut sua studia parumper intermitteret; dictatis Magistrorum vacavit; ac stato die cum se sisteret, abunde comprobavit omnibus, non a doctrinae inopia praedictum sibi contigisse adversum, sed quia dictata illa nec primis labris degustaverat. Nulla quidem conquestio ex ejus ore audita est; quod si ad familiarem aliquem de re loqueretur, paucis verbis asseverabat, id ex merito sibi obvenisse, quoniam facile poterat ab studiis aliis paululum cessare, ut debitum Magistris praestaret obsequium. Qui familiarissime cum eo utebantur

post fatalem eventum, mirifice delectati condiscebant ab ejus profunda eruditione, suspiciebantque ipsius animi magnitudinem, et modestam temperantiam. Alii vero longe aliter de Campojo sentiebant: falsis enim rumoribus, maxime duorum, triumve juvenum (ut levis est ignarae juventutis natura) quibus risum movebat illa velut mentis avocatio, qua totus erat Campojus in suis immersus meditationibus, et fere prorsus oblitus vitae, atque usus humani; falsis, inquam, his rumoribus opinio inoleverat apud vulgus, Campojum esse novitatum, et nugarum apprime studiosum, atque ea tot sudoribus didicisse, quae solidam scientiam minime generarent. Democritus etiam ab suis civibus amens olim creditus est: sed quemadmodum evanuit falsa illa civium opinio de suo Democrito; sic evanuit, quae de Campojò neque prudenter, neque mature praejudicata multis fuerat. Evanuit porro, sero tamen: cum et ille incanuisset in assiduo certamine cum adversa fortuna, et Mexico jam avulsus, evehi non potuerit ad Magisteria.

Ad publicos honores, qui ter in Theologiae curriculo pro meritorum excellentia distribuebantur, Campojus nunquam appellatus est: quare totum exegit quadriennium, tanquam unus esset ex multis; qui tamen suffragio supparum, qui eminebant inter caeteros, facile omnium princeps habebatur. In hoc publico neglectu, sacris demum initiatus, postremum subiit studiorum periculum: in hoc autem, cum libera da-

re-

retur opinandi facultas, nec timeretur illa dictatorum quasi servitus, quae terrebat hominem; indicavit Campojus, quantus esset, unanimique Magistrorum suffragio in eum gradum destinatus est, ad quem praecipui virtute, ac doctrina Socii vocabantur: et sane suo postea tempore quatuor vota solemni cerimonia nuncupavit. Decursis tandem studiis omnibus, Angelopolim immigrat, in re pietatis tertio probandus. Atque hic nova illi taciti doloris occasio a novo excellentis meriti neglectu: cum enim Magister, qui Sociis juvenibus politiores litteras Tepotzotlani tradebat, ad philosophiam edocendam appellatus fuisset; ac Provinciae Magistratus de successore designando forte cum Abadio colloqueretur, palam Abadius: *Felici casu*, inquit, *plures habes, quos possis appellare, in iis, qui ad tanti momenti munus aetate sunt idonea; sed qui magis aptus Campojo sit ab singulari perfectione in latinis litteris, vidi profecto neminem*. Id autem cum intelligeret alter, omnino respuendum censuit Campojum, ne viam docendi novam, aut a majoribus ingustatum saporem, in Socios adolescentes inferret. Bono quidem hominis animo parcendum! Sed quantam inde jacturam Sociorum juventae! Ille quidem Catonianam constantiam tot malis, ac despectibus opposuit; nec ab incepta via vel minimum deflectere visus est. Quidquid attinebat ad consuetam disciplinam, aut religiones, aut ministerium dicendi e suggestu domi, vel foris, aut praestandi aures pro sacra poenitentia;. nun-

quam non erat paratus, cum vocaretur. Caetera vero, in cubiculi silentio, aut domestica bibliotheca sedebat totas horas nullius omnino rei memor, nisi sublimium studiorum, in quae semper cupidam mentem ingurgitabat. Per eos autem dies, quod pro tertiae probationis anno Sociis praesertim commendabatur, vacavit abundantius lectioni Sanctorum Patrum, ut genuinum Divinorum Codicum sensum a purissimis fontibus derivaret. Praecipua vero aviditate legebat Chrysostomum, quem singulariter amabat, et cujus eloquentiam inprimis admirabatur: atque ea propter Campoji orationes ardorem, efficaciamque Chrysostomi redolebant.

Angelopoli Veramcrucem ire jussus, magnis conatibus adlaboravit, ut operam illis civibus praestaret quam utilissimam: et quantum valuit amicitiis, quod certe plurimum fuit, totum adhibuit ad reipublicae bonum, sive in pietatis incitamento, sive in litteris, quoad poterat, promovendis. Tria tota lustra in Veracrucensibus posuit, si paucos menses exceperis, quibus ab ea urbe sibi charissima dolens, ac moerens abfuit, in Mexicanam Professorum domum appellatus. Maximam vero trium lustrorum partem Marianae Sodalitati fuit Praefectus, quam Virginis Dolentis nomine in Sociorum Collegio Veracrucenses frequentabant. Quo quidem in munere, quanquam gravibus aliis occupationibus, et privatis etiam studiis teneretur, quibus diem totum consumebat; oranti tamen identidem ex tempore non levis honos

nos accessit. Erat enim Campojus ex iis facillimis, atque usu limatissimis oratoribus, quorum meminit Tullius, qui cum ab scribendi consuetudine ad dicendum veniunt, eam afferunt facultatem, ut etiam subito si dicant, tamen ea, quae dicantur, similia scriptorum esse videantur. Qua certe in laude tantus fuit, ut ab oculato teste acceperimus: priusquam Campojus ad id munus destinaretur, aegrotante repente Praefecto, Collegii Rectorem, prandii tempore, Campojo indixisse, ut ad Sodales post tres horas de more congregandos oraret; atque imparatum illum eloquentissime dixisse. Praefectus jam Campojus, cum ita saepe diceret ex tempore ab occupationum aestu; nullis fere limitibus affluente rerum copia, nec ulla temporis mensura servata, quam longissimus interdum orabat. Cum autem, sumpto ad cogitandum spatio, mature silvam paraverat; nemo aut elegantius, aut luculentius, aut efficacius, aut dilucidius, aut exornatius, aut ad persuadendum accommodatius orationem quamlibet perficiebat. Utinam quos hoc in genere thesauros amisit in communi Sociorum calamitate, Mexicanis typis commendare potuisset! Ex illis quidem justa volumina tria, quatuorve haberemus, quae tum hujus veritatis documentum nobis essent, tum ipsius eloquentiam, certe in paucis mirabilem, ab interitu vindicarent. Naturam sortitus est oppido liberalem in exquisitis dotibus, quae perfectissimum hac parte Oratorem constituunt. Vultum habuit mirifice gravem, et majestate

oratoria sane decorum: oculos, manus, gestus, et totius corporis motus, ad rem accommodatissime dispensabat: vocem, quam in disputationibus fuisse demonstravimus canoram, et clamosam, in suggestu expromebat suavissimam, limpidissimam, ad argumenti genus flexibilem, in narrationibus facilem, in persuasionibus efficacem, in flebilibus flebilem, in laetis exultantem. Haec de naturae dotibus: ejus autem eloquentia, quam, arte naturam juvante, comparavit, fusa erat, facilis, efficax, erudita, et, cum oporteret, mirabiliter fulgurans; nunquam vero non crebris perspersa sententiarum luminibus, quas tum ex sacrorum Codicum, tum ex Ecclesiae Doctorum fontibus petebat, ut argumentum dilucidaret suum. In orationis ornatu, quoties hispane oraret, propius ad severum, et vehementem Demosthenem, quam ad suavem, et floridum Tullium accedebat. Quam sane vehementissimam facundiam, et passim alibi, et praecipue in Mexicano Templo Regalis Nosocomii fructuosam fuisse comperimus, quo tempore Campojus vix paucos menses ab sacris Ordinibus numerabat. Superest Bononiae, qui audivit hominem ibi dicentem, qua noctè, Adventus tempore, magnam urbis partem sacris concionibus Mexicani Socii perlustrabant, id unum suarum orationum sibi argumentum proponentes, ut dolor de peccatis excitaretur. Hic ergo, quem Bononiae superesse diximus, cum stupore apud nos testatus est: se conspexisse, ac demiratum esse, immensam populi frequentiam

tiam in eo tum templo congregatam, in quibus erat Emmanuel Arellanus, Doctor magni nominis, virilique ac solida pietate in Mexicanis, aliique paris conditionis homines; hunc, inquam, confertissimum populum, et primum Arellanum, ad rapidam Campoji facundiam repente in genua prolabi, atque omnes, nullo dempto, suavissimis lacrimis diffluere, ac manare: nec opus quidem fuisse, ut in talibus mos erat, oratorem manu tollere Jesu cruce fixi simulacrum, quod populo, jam confecto luctibus, atque imploranti misericordiam, demonstraret. Quantus postea devenerit Orator iste consuetudine dicendi, facile ab iis exordiis argumentaberis!

Hujus in dicendo laudis meritum non mediocriter cumulabat urbana quaedam facilitas in privata consuetudine; atque ab iis virtutibus, nihil sane mirum est, quod magna opinio de Campojo, tanquam de singulari admodum viro, in Veracrucensibus invaluerit. Franciscus Crespus, Regius urbis Praefectus, et nobilis ejus uxor, conjuges religiosissimi, et liberali munificentia in egenos ibi gentium laudatissimi, benevolentia summa Campojum prosecuti sunt, atque intimam cum eo familiaritatem inierunt. Foemina vero non solum hanc habuit cum Campojo praestitae benevolentiae necessitudinem; sed etiam omnes animi sui latebras in sacra poenitentia ipsi patefaciebat; nec fere pedem, aut manum, nisi ex tanti viri consilio, movere consuerat. Hanc spectabilem virtutibus foeminam, cum Veracruce fato concessisset, Cam-

pojus descripsit elegantissimo, ut omnia solebat, stilo; et Matronarum exemplo vitam ejus admodum castigatam, atque in opulentia, et honoribus religiosam, typis commendavit. Ea Crespi cum Campojo familiaritas magni fuit emolumenti Veracrucensi Sociorum Collegio; quod ea tempestate summis rei domesticae cum esset angustus, parum abfuit, quin penitus deleretur. Et certe Mexicana Societas eo tum se Collegio abdicasset ob extremam ipsius inopiam; nisi Crespus Campoji studiosissimus, et Sociorum bono nunquam non favens, a praedivitum mercatorum Veracrucensium liberalitate obtinuisset, ut ingens quaedam pecuniae summa, quae ipsorum juris erat, dono Sociis attribueretur. Neminem comperimus, cujus memoria non exciderit, quanta fuerit haec summa; sed certe repraesentata sunt uncialium argenteorum plura millia; et collocata pecunia, census quotannis redibant, unde Socii plures alerentur, in illa quidem urbe, ubi, nullus est, quin audierit, omnia magno nimis pretio divendi. Opportunam certe civium munificentiam!

Ut est illa urbs totius Novae Hispaniae celeberrimus portus, quem ultro, citroque vel navim conscensuri, vel a mari venientes frequentant; complures amicitias Campojus iniit cum rei maritimae Praefectis, aliisque nobilibus ex ea militia, quae regiis navibus praesidio est. Ii quidem, ut Veramcrucem attingebant, sive hominis fama occupati fuissent, sive alias ipsum novissent, in Campoji cubiculum ul-

ultro advolabant: quin imo plures eorum audi- ti sunt dicere, se ad talem virum lubentes fe- stinare, tum ut eruditissima ejus consuetudine oblectarentur, tum etiam ut ab eodem de re nautica plura condiscerent. De tabulis enim hy- drographicis, de instrumentis astronomicis, de Stellarum, ejus praesertim, quam *Polarem* ap- pellant, observatione, de acus magneticae de- clinatione, deque aliis id generis rebus, quae scientiae nauticae sunt, tanta peritia loqueba- tur; quasi aut natus, educatusque inter mariti- mos fuisset, aut in illis addiscendis longissimam operam posuisset, aut navim diuturno tempore gubernasset. Ab his amicitiis Veracruce con- tractis, haud mediocri cum laude, Matriti post- modum, alibique in Hispanis, Campoji nomen audiebatur: nam et Mexicani hominis plausus ab ore amicorum, cum ad Hispanos remigras- sent, prodibant; et ipsi epistolas a Campojo sibi datas, legendas aliis, ut amicum extolle- rent, deferebant. Ex his epistolis unam, alte- ramve forte legit Gregorius Mayansius, magni certe nominis in Hispaniae litteratis; qui ma- xime demirans nitidissimam dictionem, hispanae linguae puritatem, et sanissimam judicandi pru- dentiam, quibus ille longinquus epistolas exara- bat; virum esse Campojum summo ingenio, et perfectissima litteratura suspicatus est; ultroque ad eum dedit litteras, in quibus ipsius amici- tiam, et familiaritatem assiduis fovendam episto- lis precabatur. Iisdem famae rumoribus, quibus inolescebat opinio de Campoji doctrina, com-

mo-

motus etiam fuit, ac suamet sponte ad illum scribere nihil gravatus est Josephus Isla, clarum, et jucundum nomen in Hispanis eruditis. Atque ita coalüit perpetuis litteris amicitia inter Islam, et Campojum; ut hic habuerit a Crespo suo, quem urbis Praefectum demonstravimus, unciarum argenti signati ad duo millia summam, quam Islae dono mandavit eo nomine, ut Croiseti Sacer annus, a gallico in hispanum sermonem ab eodem Isla elegantissime redditus, typis pervulgaretur. Haec de Isla, et Mayansio novimus a quodam Campoji familiari, qui litteras utriusque ad Mexicanum virum semel, et iterum legisse testatur. Amicitiam vero inter Islam, et Campojum novimus Bononiae cuncti; cum familiaritatem, ab epistolis enatam, hic invicem praesentes, ad alterius mortem sancte coluerint.

Nec modica emolumenta, quae certe ipse non quaerebat, a maritimis amicis habuit, cum in Hispaniam immigrassent: nam ex iis pecuniosi nonnulli, cum viae se praecingerent, summa illum benevolentia interrogabant: Numquid vellet ab Hispania sibi mandari? Campojus autem vel omnino nihil, vel exquisitum aliquem librum, quem ibi terrarum invenire non dabatur, pretio solvendum requirebat. Illi vero, quidquid requireret, immittebant; et saepe obstinabant animis pretium non recipere. Ita quidem partim iis largitionibus, partim suismet sumptibus privatam molis non modicae bibliothecam sibi effecit, in qua nihil fere cerneres nisi

nisi ex optimi saporis auctoribus, maximeque ex Sanctorum Patrum pulcherrimis, et castigatissimis editionibus. Haec erat bibliotheca, ubi suas ille collocarat delitias, et ubi tempus eruditissimo silentio consumebat, quoties liberum ipsi erat a Veracrucensium frequentia, qui festis praesertim diebus ad ejus cubiculum solebant ventitare, quasi ad totius oraculum civitatis. Ab omnibus enim, maxime vero a primis in urbe viris, Campojus requirebatur; vel ejus ingenti eruditione, vel modesta gravitate, vel urbana consuetudine caperentur. Quanquam haec Veracrucensium ad Campojum frequentia postremo fere triennio commorationis ejus in Novohispanis refrigescere visa est. Ratio autem fuit ejusmodi: excogitavere nonnulli, scenicos ludos, non temporarios, ut interdum visi fuerant, sed perpetuo mansuros in urbe institui, theatro publice constituto: quod cum a Felice Ferrazio, tum Regio Praefecto postularent; Ferrazius in re nova Campojum, qui sibi erat ab sacris confessionibus, consulendum existimavit. Hujus consilio ductus, postulantium precibus annuit Ferrazius, et ludi fuere instituti. Post modicum vero dierum intervallum Campojus e suggestu in Divi Sebastiani novendialibus; quae prima sunt in ea urbe solemnia, pronuntiavit orationem mirifice adlaboratam, et summa cum voluptate, atque incredibili plausuum significatione a frequentissimis ibi civibus inauditam. Repente vero, cum jamjam desineret, prodigialiter exarsit; visus est (quod de Pericle Quintilia-

tilianus) fulgurare, fulminare, permiscere totas aedes; acriter, et strenue theatri spectacula reprehendit; ac postremo Praefectum excusavit, quem aperte dixit, ea duntaxat hoc nomine, ut gravioribus malis parceret, permisisse. Suprema haec verba criminati sunt civium quidam, quasi contumeliosum dicendi genus in civitatem nihil tale meritam; et se se injuste perstringi suspicati, pene omnes a visitando Campojo postmodum abstinuerunt. Fortasse inconsiderantiae damnari potuit Orator; cum urbem incoleret sane religiosissimam, ubi foeminae inprimis erant honestae, rariusque extra domum conspiciebantur; ubi Matresfamilias, cadente Sole, domesticos omnes congregabant, ut cum ipsis Marianas laudes alternatim percurrerent; ubi cuncti fere ordines ad sacram poenitentiam, Eucharistiam, aliasque religiones frequentissimi accedebant; ubi odia, jurgia, concertationes inter cives parum, aut nihil audiebantur. Et gratulamur Veracrucensibus, nostris civibus, quod tales ea tempestate fuerint; iisdemque virtutibus nunc esse speramus, et perpetuo duraturos. Nos vero, quorum est ab lege historica, nullis favere partibus, Oratorem excusandum putamus, cui nec erat ita facile, cum fervide diceret, linguam in eo metu, quem incusserat benevolentia erga cives, cohibere; nec ejus fortasse verba, quo sensu debuissent, excepta sunt: nec enim dubitamus, Campojum, illarum gentium amantissimum, ab eximiis urbis virtutibus in eum timorem devenisse,

ne

ne tanta religio in scenicis periclitaretur. Quod si, habita ratione hominis publici, connivere se posse, Ferrazio respondit; habita etiam privati boni ratione, in pericula exarsit, quae privatis credidit imminere.

Hoc eodem tempore vehementer desudabat Campojus in novis desiderandis, et excogitandis coloniis per eam infrequentem regionem, quae circa Populopolim est. Quibus coloniis ut facilius esset commercium a Mexicani sinus littore, novum etiam in eodem littore portum extrui posse imaginabatur, unde per canalem transitus esset ad mare Pacificum, atque inde facilius commercium cum remotis coloniis in confinio Populopolis excitandis. Atque harum rerum speciem quamlongissimo, eruditissimoque scripto, quod patriae bono factum credidit, adumbraverat. Inchoarat etiam Veracruce laborem alium, et hunc quidem egregium: Plinii scilicet Veronensis libros de natura rerum interpretari: quod quantis conatibus, et quam strenua navitate procuraverit, incredibile quidem est; ac nosmetipsi vix fidem praestaremus iis, quae audivimus, nisi unius, alteriusve familiaris, qui Campoji efficacissimam indolem intima consuetudine noverunt, auctoritate niteremur. Atque erat hic labori suo scopus, ut Plininm Hispanorum maxime captui familiarissimum, et facillimum redderet. Decreverat autem a maritimis ordiri, cum ad mare positus esset ipse, atque eo quidem loci, ubi et Crespi Praefecti auctoritas, et communis tunc erga scribentem

be-

benevolentia, favorque facilitatem omnem rerum maritimarum observationibus, et investigationibus procuraret suis. Haec autem omnia cum immensa, sed nimium indiligenter chartarum segmentis mandata, supellectili de rebus litterariis, qui sapientis hujus thesaurus erat, primum dispersa forte ab incuria, deinde vero fortunae casibus aeterna oblivione sepulta sunt; eo nimirum annuente, qui mundum suum ad arbitrium gubernat unus vere sapiens, et justus Deus. Agentem ea Campojum occupavit commune Sociorum infortunium; cui pectus ille opposuit fortissimum, et nobilem animi magnitudinem; tametsi ad ingenii mensuram, immensam calamitatum segetem praevideret.

Nemo Campojo alacrior a Novohispanis exiit, nemo etiam in pauperiore supellectili: nam ut erat indole ad censoriam gravitatem facta, indignum se se putavit, sarcinis ire onustum; atque hominem sibi sufficere, ubi ubi commoraretur, existimavit. Ac profecto per tot incommoda terra, marique viam egit difficillimam, sitim, famem, aerumnas perpessus; una vero contentus librorum voluptate, vel quos paucos ipse attulerat, vel quos commodari sibi fortunate contigit. Nec sane dubitamus, in illa rerum perturbatione, ac strepitu, qui tot una hominum navigationem consecutus est; Campojum ob mores natura, et longa consuetudine gravissimos, fuisse in paucis excruciatum. Post varios igitur casus Italiam cum attigisset, Ferrariae jussus considere, vitam eam instituit,

ut

ut in otio cum dignitate ad Tullii mentem esse potuerit. Nunquam non se praestabat libentissime, quoties aliquis de re litteraria sermonem cum eo vellet conserere: ac fuere nonnulli ex Mexicana juventute, quibus ad ipsum accedentibus eruditionis petendae causa, viam optimam in cursu scientiarum commonstravit, digitumque ad puriores fontes intendit, ubi discendi sitim compescerent. Atque hic demum nemo fere fuit ullus, qui justas laudes Campoji sapientiae non persolveret: quin imo superstes tunc unus aliquis ex illis ipsis, qui studia ejus olim contempserant, et probris consectati fuerant; bona jam fide intellexit, atque aperte professus est, plane utilia, et sapienti digna esse, quae Campojus adolescens, nulla Magistri voce, didicerat; eoque duntaxat nomine ibi gentium habitas despectui fuisse praeclarissimas artes, quibus ille tot annos insudavit, quoniam ingenia virorum, tunc ibidem excellentium, ad novitatis vel umbram exhorrescerent. Sed, per Deum immortalem! quoties nova studia sanctam Fidei veritatem nec impetunt, nec etiam leviter attingunt, cur timendi subterranei meatus in occupatione illa, quam dedit hominibus Deus, ut ingenia excolantur, ut natura rerum investigetur? Nullae profecto laudes non debentur eminentibus ingenio viris, optime de litteratura meritis, qui sudoribus immensis nova ejusmodi rimantes, arcanam veritatem, ut ajebat Feijovius, a natura valuerunt extorquere.

Po-

Potissimam vero apud Italos habuit occupationem in Plinio; quod opus Veracruce inchoatum, ut demonstravimus, abruptumque discessu ejus a Novohispanis, hic iterum, et magno cum conatu resumpsit. Vir eximiae constantiae, firmissimaeque tenacitatis in iis, quae capessierat; nullum non movebat lapidem, ut omnia, quae ad operis perfectionem attinerent, minutissime investigaret. Nec illi satis erat; quod diem, noctemque in profundas hac de re meditationes animum incredibiliter intendebat in cubiculi silentio; sed nihil eum pudebat, Ferrariae, Bononiaeque in forum piscarium se se ferre; mercatorum benevolentiam, quam ab ejusmodi hominibus ingenuus habere potest, sibi largitionibus aucupari; atque ibi ad arbitrium et squamam, et corium, et caudam, et caeteras tum externas, tum internas piscium partes inexplicabili curiositate rimari: ut, reperta omnigena convenientia piscium, quos videbat, ac manu tractabat, cum piscibus a Plinio descriptis, aptatum hispano sermone nomen annotaret. Nec semel piscem integrum ex sua tenuitate coemit, ut domi commodius, diuturnius, atque ab arbitris remotius perquisitioni vacaret. Haud minori erat navitate in olerum natura indaganda; et notissimus erat in foris olitoriis tum Ferrariae, tum Bononiae, Sacerdos iste peregrinus, qui et omnia cominus intuebatur, et exquisita quaevis olera prolixius perpendebat, et de ipsorum aut plantationis, aut seminationis ratione, ac tempore,

ven-

vendentes interrogabat. Ferrariae cum Plantarii publici custode contraxit amicitiam; a quo plantarum exoticarum cognitiones, pro suis lucubrationibus maxime idoneas, derivavit.

In iis Bononiam se se contulerat, iisdemque, quibus Ferrariae, laboribus intendebat; cum audivit decretum de Societatis eversione: quod quanto ipsum dolore confecerit, ab ejusdem amore, ac reverentia in Societatem dimetimur. Campojus coluerat, suspexerat, magnifecerat, amaverat leges Ignatianas, quas et profundissimis meditationibus, ut cuncta solebat, omnino digesserat. Ac sane gaudemus, quod in documentum veris Catholicis repraesentare possimus hunc solida, et genuina sapientia virum, qui prae familia, cujus fuerat alumnus annos circiter triginta duos, legitimam Ecclesiae auctoritatem dilexit, ac propugnavit. Vix ab ea decretum venit Bononiam de Societatis excidio, totam suam eloquentiam, quanta quidem erat, Campojus explicuit, ut obedientiam Ecclesiae debitam praedicaret. Id autem, sive ad unum aliquem ex familiaribus loqueretur, sive ad Sociorum frequentiam. Quod sane ut confirmaret luculentissimo exemplo, summis memorabat laudibus egregium Fenelonis facinus, Cameracensis Pontificis; qui, suum quoddam opusculum cum ab summo Ecclesiae Magistratu fuisset damnatum, ipse Cameraci in Templo principe, damnationis ejus decretum insigni demissionis exemplo legit; et statim ab hac lectione, copiose quidem, atque eleganter, op-

 pido

pido tamen religiosius, ad congregatum ibidem populum oravit de praestanda Romani Pontificis oraculo fide, ac reverentia. Id Campojus cum identidem in colloquiis per eos potissimum dies commemoraret; rapidam illam suam, et vehementissimam exacuebat eloquentiam, ut apud sibi consortes, jam ab initio quidem obedientes, hilarem facilitatem in hac obedientia, Christi Vicario praestita, promoveret. Atque erat in homine, cum de his diceret, ea persuadendi vis, et tam mirabilis efficacia; ut aliquando fuerit inter audientes, qui ad ejus facundiam, et religiosissima verba, suavissimis lacrimis manaverit. Nec ab ea loquendi ratione, ac praedicanda obedientia descivit Campojus, quo toto adhuc tempore duravit in mortalibus. Audiant hoc hominis insigne documentum, qui se se falso nomine philosophos hodie jactant, atque ostentant; inde vero discant, quam sapiunt constanter, qui vere Sapientes, atque a Domino Docti sunt; quorum quidem religiosa consilia sibi semper constant, nec ad fortunae inconstantiam, ut leve folium, in diversa rapiuntur! Nobis quidem Campojus, ut ut ab sapientia, severaque animi fortitudine, toto suae vitae cursu laudabilis, et mirabilis; ab hoc uno facinore laudabilior, et mirabilior visus est.

Mutata veste, nec mutatis moribus, ab suo Plinio non omnino cessavit; quanquam non modicum temporis tunc auferebat, quod in magna conficienda tabula Septemtrionalis totius

Ame-

Americae, Hispano Regi subjectae, quam jampridem meditabatur, impenderet. Nemo certe ad arduam hanc Provinciam Campojo accommodatior; vel consideres eximiam ejus in adlaborando constantiam, vel studium in rebus investigandis prolixissimum, vel vastam, atque omnibus luminibus ornatam mentis capacitatem, vel praecipuam in geographicis eruditionem, vel absolutam Novae Hispaniae totius notionem, quam et a peritis ob longa itinera, et ab assiduis hac de re meditationibus, ipse sibi comparaverat. Quod si his adjeceris utilitatem operis (omnino enim habemus nullam earum regionum tabulam, quae vel mediocriter veritatem attingat) dolendum profecto fatebere, quod his intentum virum, ad eadem sane unicum, mors a nobis eripuerit. Et quod luctum luctu cumulavit, ex ditissima hoc in genere supellectili, quam, eo vita functo, inventum iri sperabamus; nec illustrationum in Plinium, nec paratae silvae pro illius orbis plagae descriptione, reperta sunt adversaria, quibus publicae utilitati consuleretur. Nos quidem, cum clariorum Mexicanorum imaginibus primam apponere manum aggressi sumus, vehementer desideravimus opusculum nostrum exornare Mexicani orbis tabula, quam a Campoji adversariis peteremus, et quod illustre posteris esset ejus nominis monumentum. Sed post accuratam in iis requirendis diligentiam, haud levi cum moerore intelleximus, omnia fere, quae vir iste scripserat in Italis, nescimus quo casu, deperiis.

riisse. Id liquido constabat, intentissimam operam his dedisse Campojum annos aliquot, gravi jam valetudine tentatum; diuturnum autem morbum, vel quia levem credidit, contempsisse; vel quia mirabili erat magnanimitate, silentio toleravisse. Febricula correptus, et lecto affixus, venientem quemlibet hilariter excipiebat; nec ullus erat, qui febris naturam odoraretur. Ingravescente autem morbo, et plura interrogante Medico, sero intellectum est, quod vel aegrotus ipse non cognoverat, vel patefacere neglexerat: nimirum a vitiosis humoribus generatam per inguen serpere gangraenam. Illico audivit, se se ad interitum festinare, ac postremis munitus est religionibus. Neque vero Spartanam illam constantiam, et tranquillam oris dignitatem, quam alibi diximus ei fuisse perpetuam vitae comitem, ad terribilem mortis aspectum deposuit. Obiit Christiane fortis IV. Kalendas Januarias, anno saeculi vertentis 77, aetatis autem fere dimidio post quinquagesimum quartum. Elatus est in Paroeciali Mariae Virginis Templo, cui vulgo nomen est a Charitate, ad parvum Rhenum, qui Bononiam intersecat.

Immortalem Josephi Raphaelis Campoji vellemus reddere memoriam, ea potissimum de causa, qua Tullius Antonii, et Crassi laudem, ea jam tempestate, ut ipse ajebat, prope se nescentem, conatus est ab oblivione hominum, atque a silentio vindicare: quod nimirum ex scriptis cognosci suis, ut Antonius, et Crassus,

ita

ita et Campojus nunquam poterit. Hoc etiam Socrati similis, quod inter aevi sui primores ab eminenti Sapientia laudari cum meruerit; nulla ejus extant scripta, in quibus tanti viri nomen posteritas admiretur. Fuit autem Campojus omnino mirabilis ab indole sublimi, qua factus videbatur ad litterarum incrementum; fuit enimvero mirabilior ab incredibili constantia, qua se se interritus opposuit torrenti, et fluctibus in eumdem excitatis, ut consueta docendi forma propugnaretur. Ob temporum injuriam accidit, ut ab iis non cognosceretur meriti ejus excellentia, quorum intererat ipsum extollere, ac primis Magisteriis in bonum publicum decorare. Ille autem nullo studiorum duce, nulla praemii spe sibi proposita, sed sciendi duntaxat, ac mentem suam bonis artibus exornandi cupidine, ad tantam doctrinae laudem ascendit; ut certe cum Franklinis, et simili praeclaris magnitudine viris, quos in Americanis dedit saeculum duodevicesimum, juremerito possit conferri. Haec ut asseramus, praeter testimonium aliorum Mexicanorum laudati nominis in litteris, auctoritate praesertim Abadii nitimur, quo nullus quidem cadere poterat aptior testis; utpote qui et in utroque orbe notissimus est ab eximia doctrina; et excelsam Campoji mentem ab utriusque tenera aetate familiarissime tractavit. Quare pretium operae ducimus Abadium exscribere, cujus haec sunt verba in laudata jam a nobis dissertatione: *Memini tui, Josephe Campoi, cujus interitu, opinione omnium ma-*

majorem ego animo dolorem cepi. Potuit quidem mors a conspectu meo te consortem studiorum meorum charissimum abducere; a memoria autem, dum vivam; mea subducere, aut obliterare te profecto non poterit. Tu sublimiorum, et gravissimarum scientiarum cognitione instructissimus, ab ipsismet Scripturarum, et Conciliorum, et Sanctorum Patrum fontibus Theologiam imbiberas. Tu Regnorum, Provinciarum, Urbium distantiam, situm, descriptionem sic animo comprehenderas, tanquam si de specula quadam altissima totum terrarum orbem contueeris. Tu longum Historiarum filum a Mundi exordio ad aetatem nostram tenebas manu: et saniore semper Critice adhibita, involutissima quaeque explicabas. Tibi antiqui omnes Latinitatis Patres, prae me, qui assidue a puero tecum vixi, erant familiariores. Quoties tu mihi de orationis ductu, et dicendi genere aliquo, aut de multiformi, et versatili verbi alicujus usu dubitanti lucem majorem ea, quam Paraeus, aut Pompa, aut Nizolius, aut Stephani Thesaurus attulerant, attulisti. Quoties Plinii Majoris, aliorumque antiquorum locos tenebrosos, et implicatos, dilucidius, et planius quam interpretes docti, quos ante consulueram, explanasti! : : Sed nimium quantum dolore abreptus sum, et injuriam illi facio, qui ex his miseriis, et iniquissima vitae hujus nostrae conditione ereptus; beatissima, uti spero, donatus est. Haec Abadii de Campoji laudibus, tametsi magna quidem illa videantur; cum tamen legeret Xaverius Alegrius, clarum etiam nomen in Mexicanis lit-

te-

teratis, aperte dixit: Abadium Campoji laudes adhuc infra meritum extulisse. De Campoji dotibus animi, atque indole secum ipso nimium severa, plura diximus; id unum adjiciemus: multorum in Sociis Mexicanis animos cum ille inflammasset ad saniorem litteraturam, atque eruditionis omnigenae studium propagasset; ab obstinato tamen rerum suarum silentio, vixit postremum decennium, aegrotavit, decessit in summa rerum inopia; in eadem vero, sibi semper constans, heros duravit invictae fortitudinis. Profecto, cum suam instaurati saporis in re litteraria Mexicus edat historiam, (quam provinciam utinam aliquis aggrediatur!) dignus Campojus est, qui in clarissimis nominibus locum obtineat.

PETRUS ROTHEA.

Hunc oppido amabilem virum cum cogito, venit in mentem illud Marci Tullii effatum: *Omnino si quicquam est decorum, nihil est profecto magis, quam aequabilitas universae vitae, tum singularum actionum*. AEquabilis ille a pueritia, nihil ab hac virtute defecit juvenis, nihil etiam maturus aetate, sive privatum, sive Magistrum, sive superiorem, sive exulem ageret: ut sane tota ejus vita, quasi sedatus amnis, fluere visa sit. Patriam habuit Chalcum Mexicanis olim florentibus, urbem percelebrem, commercio divitem, atque e primariis portubus vastissimi lacus Mexicani; nunc oppidum, quod ex antiquo commercio plura retinet, ex dignitate vero vix pauca. Distat Mexico ad passuum viginti quatuor millia, qua plaga interjacet inter Austrum, et Occidentem Solem. Hic igitur tertio Nonas Majas, anno saeculi currentis vigesimo primo Petrus natus est honestis Parentibus Blasio Rothea, et Maria Theresia Ruizia Lozana; quos non quidem natura fluxis bonis, utique vero solidis virtutibus nativa pietas exornabat. Maria Theresia juvenis adhuc interiit; Blasiusque cum aliam duceret uxorem, numerosa prole adauctum in bonorum inopia se se vidit. Dignus profecto aeternis laudibus homo, qui, reipubli-

cae

eae bono, in sudore vultus tot filios aluerit, atque optimis moribus informaverit! Horum tres dedere nomen Societati; quorum secundus Petrus est, quem modo describimus. Annum hic vix confecerat, cum in urbem Mexicum Parentes transmigraverunt; ubi crescere incepit, celerius quidem virtutibus, quam aetate: jam enim a pueritia comparuit in ejus vultu demissa illa, tranquilla, et comis indoles, quae totam ipsius vitam insignivit, et quam tandem sepulchro intulit. Libentissime subjectus Parentibus, nunquam ab eorum voluntate declinavit, nunquam ipsorum movit iram; aetate grandiores reverebatur; cum supparibus affabili erat, sed gravi consuetudine; nec unquam visus est ad jurgia, et verborum rixas vergere, ut id aetatis pueri proni sunt. Pro grammaticis elementis cum Jesuitarum gymnasia frequentaret; tum a Magistris, tum a condiscipulis benevolentiam sibi comparavit. Eminuit semper inter primos, ut profectu litterario, sic etiam christiana modestia, et mira naturae facilitate, quae maxime decent juvenem ad optima quaelibet instituendum. Haec inter, domesticis rebus consulturus Pater, cum proficisci Mexico teneretur; de Petro secum portando cogitabat: quoniam, cujus fidei tam charum sibi pignus committeret, non habebat. Id cum intelligeret adolescentis Magister, cui ob ingenium, et virtutes Petrus erat charissimus; Blasio persuasit, in Divi Andreae Jesuitarum Collegio posse filium opportune relinquere: in quo quidem Collegio, quod

Socii fere omnes aut inclinata essent aetate, aut infirma valetudine, aut gravissimis occupationibus distenti; alebatur interdum, atque habitatione donabatur unus aliquis honestae naturae juvenis, qui librum de Divinis rebus agentem elata voce legeret, illis in triclinio prandentibus. Libenter annuit Pater, et libentissime filius oneri tantulo se accinxit, et cubiculum in Collegio ingressus est. Ibi jam tunc instar Socii se se reputans, continuo ad illum tenorem vitae se contulit, quo posset enitere inter plures ferventissimus quisque religiosis votis Numini consecratus. Ab eo tempore frequentior erat ad sacrum poenitentiae Tribunal, ad cibum Eucharisticum, ad alias pietatis exercitationes; litterarum etiam studio dabat operam abundantius: pedem e Collegio. nunquam efferebat, nisi cum ad scholam contenderet; unde recto itinere cubiculum repetebat. Vitabat, quantum poterat, externorum adolescentium consuetudines, illorum maxime, qui liberioribus erant sermonibus; quae solet esse periculosa contagio innocentibus id aetatis, cum praesertim suavitas indolis accedit. Quoties Petrum quis inquirebat, in cubiculo solus reperiebatur. Sacerdotem a confessionibus delegit sibi Petrum Ugartium, clarissimi nominis virum, Californiis administratis emeritum; cujus frater fuit Joannes Ugartius, ad eosdem pariter Californios memoria dignissimus, tum mirificis gestis, tum ingenti laude sanctimoniae. Cum Petro igitur illo agebat Rothea fidenter, atque intimos animi sui recessus communi-

municabat. Biennio, et sex mensibus grammaticae curriculum terminavit, semper inter primos, ut demonstravimus, honoribus decoratus. Deinde philosophiae navans operam, eo alacriorem intentionem sibi esse adhibendam intellexit, quod necesse erat, multum temporis deperire inter eundum, et redeundum bis quotidie a Divi Andreae ad Divorum Petri, et Pauli Collegium, ubi erant Sociorum gymnasia, longissimo intervallo ab Andreana domo distantia. Christophorus Escobarius, in cujus laudem saepe alias incidimus, hanc arripere tentavit occasionem, ut tantis dotibus juvenem tum beneficio donaret, tum in Divi Ildephonsi Seminario, quod Rector tunc temporis gubernabat, suis alumnis tanquam perfectissimum exemplar proponeret. Ultro vocavit Petrum, obtulitque semet ipsi alimenta suppeditaturum gratis in Seminario. Ad haec juvenis in gratias effusus, ad omnia se respondit paratum; sui tamen juris non esse: Divi Andreae Jesuitas oportere inprimis consuli, quorum se obstrictum esse beneficiis, nemo non viderat. Hos cum consuleret Escobarius, atque aegre laturos intelligeret, si suavissimae indolis adolescente carerent; omnino supersedendum judicavit. Ita Petrus in eodem officio, atque itineris quotidiani difficultate perdurans, priscam suam accurationem adauxit pro philosophiae gravitate; cujus curriculum iteratis a Magistro praemiis absolvit; ac tandem coronidem imposuit, publicis totius philosophiae thesibus laude non vulgari propugnatis.

Et

Et jam profecto flos ille maturus erat, qui ad amoenius viridarium transferretur: nec enim dubio locus erat, inter mundanas illecebras, quae verae spinae sunt, radices agere non posse, qui a tenero illas declinans, in suavissimo virtutum odore adoleverat. Ad Joannem Antonium Oviedum (illustre ad Mexicanos nomen!) qui tunc in summo erat Provinciae Magistratu, se sistit, atque ad Societatem Jesu divinitus vocatum patefacit. Nihil distulit Oviedus annuere petitioni; cum praemonitus esset de suavibus candidati moribus, ingenio ad omnia facili, ac diutine probata pietate. Anno saeculi praesentis quadragesimo, tertio Kalendas Februarias, immittitur Petrus in Tepotzotlanense tirocinium; quo tempore Josephus Maria Genovesius, laudatus alibi a nobis ob egregium in erudiendis pietate animis Magisterium, ad Sociorum Institutum novitios educabat: qui sane Magister, qua erat hominum cognitione, celeriter intellexit, quanto esset fervore Petrus, et quam facilis mores, quos edocebatur, capesseret; cum ad suadentis nutum, nedum ad jubentis imperium, tanquam cera mollissima flecteretur. In corporis castigatione, in legum custodia, in fervida pietate, in animi demissione, in cujuslibet officii domestici observantia, in urbana charitate ad Socios omnes, is apparuit propemodum ab initio, ut non tiro recens adlectus videretur; sed plurium annorum spatio in vexillis Ignatianis emeritus. Quapropter Genovesius illum post paucos menses destinavit, qui Praefecti nomine tironi-

roni-

ronibus praeesset: quo in officio exercendo nihil desiderata est expertissimi senis matura prudentia. Exacto universorum laude tirocinio, litteris humanioribus in ejusdem Collegii Seminario vacavit; ubi ad comparatas biennio proximo virtutes animi, singularem in amoena illa scientia profectum adjunxit. Translatus inde Mexicum in sanctorum Petri, et Pauli Collegium, quo eodem anno philosophiae totius periculum subiit, etiam Theologiae curriculo posuit initium; quo confecto anno, Magister designatus est, qui ad Zelajenses traderet grammaticae rudimenta. Et nihil hic sibi absimilis: nam ut pietatis rebus in tirocinio, ac deinceps litteris religiòsam navarat operam; ita et docendi muneri eam dedit intentionem, quae potest maxima praestari. Nec mediocris fuit illi adjumenti Joannes Orivajus, in eo Collegio commorans, praeclaris virtutibus, et maturo judicio Socius, quicum propinquam inivit consuetudinem juvenis Magister, consilio juvandus in novo vitae genere, ac pro iis omnibus, quae ventura postmodum erant, in solèrti providentia, urbana probitate, ac magnanima constantia instituendus. Plurimi quidem refert, ut quales amicos in juventute tibi compares; ita et quali animo ad bonos, quos colueris, accedas! Ingenti suo bono Petrus ex Orivaii familiaritate didicit, tempus utiliter nulla intermissione impendere, morum scientia mentem ornare, christianos oratores assidue legere, in arte dicendi ad populum accurata exercitatione prolude-

ludere. Omnino in iis consumebat, quidquid a puerorum schola supererat temporis. Quantum dabatur pro munere, declinabat colloquia cum externis; atque ut illi rarius ad se venirent, ipse ad eorum aedes non comparebat, nisi aliquando traheret officii ratio. Id autem non affectato quodam humanae consuetudinis odio, aut delicatulo fastidio, quod aliorum contemptum solet redolere: nam, quod ab initio demonstravimus, tota ejus vita fluebat naturali quadam venustate, quae nunquam posset alios, quibuscum utebatur, offendere. Ita Magisterii biennium cum fideliter exegisset, nec a pristina pietate vel minimum defecisset; pro Theologiae conficiendo quadriennio Mexicum remeavit, permultis ornatus cognitionibus, quae reliquo vitae tempore faciliorem ipsi aperuere viam ad munera quaelibet exercenda. Post annum Theologiae tertium, cum praemia de more distribuerentur pro meritis, praecipuus honos Petro confertur, qui primarias theses ad diem totum propugnaturus Mexici renuntiatur. Inter haec Sacerdotali decoratus dignitate, coepit illico fidelem operam locare in poenitentiae tribunali Minister; cui natus quidem ministerio videbatur, utpote tum morum scientia, tum maturo judicio, tum nativa suavitate insignitus. Neque tamen, quod assidue indefessus esset in hac difficili charitatis opera, idcirco remisit a parandis thesibus; quas tandem suo tempore defendit, venuste promptus in dicendo; solidus in retundendis adversariorum rationibus;

mode-

modestus et gestu, et verbis; nec vulgaribus adstantium laudibus celebratus.

Deinde cum de more in rebus pietatis tertio probatus esset Angelopoli, ad Havanenses contendere jubetur Magister, qui grammaticam constructionem, poesin, et rhetoricam externis adolescentibus traderet. Havana celeberrimus portus est in praenobili juxta, et perampla insula, cui nomen Cuba. Sita Civitas est dimidio fere supra tertium, et vigesimum latitudinis gradum ad Septemtriones; quam in Mexicani Sinus faucibus attingunt, qui e Nova in Veterem Hispaniam praetervehuntur. Ditissimam faciunt proventus ab saccharo, et ab optimi usquequaque Tabacci messe, quorum commercium nusquam alibi gentium abundantius est. Ante annos aliquot novae in hac insula casu comparuerunt apes, a Florida peregrinae, quae perutiles colonias e Republica sua in illis frondosis agris, et lucis mirifice propagarunt; et hinc merito credebatur, etiam cerae commercio fore, ut Havanenses adaugerentur. Equidem vidi ceram ab illis in Havana peregrinis apibus, cujus candorem, et optimam constitutionem, nullo adhuc artis medicamine, attente considerans, certe ab Hyblaeis, vel a Cecropiis apibus elaboratam affirmassem. Caeterum sive apum hoc genus in ardentibus illis regionibus diuturnius consistere non potuerit, sive incuria fuerit hominum; audimus, alvearia fere deperiisse. Indigenae sunt natura boni cives, consuetudine aperti, faciles, urbani; quippe in

loco

loco nati peregre adeuntibus frequentissimo, assuescunt a teneris non reformidare conspectum hominum; quam bonae institutionis partem non negligendam Parentibus meminerat olim Quintilianus. Capita incolarum ad millia circiter quinquaginta numerantur. Calidissima est regio, coelum fere insalubre peregrinis. Portus ad miram venustatem amoenus, ingenti capacitate fidam praebet atque a ventorum furore tutam stationem permagno navigiorum numero: munitissimus etiam est arcibus hinc et hinc frequentibus, quarum binae ad angustas fauces e regione inter se positae, aditum hosti occludunt, tormentis bellicis ruinam minitantibus; unde ne in potentissima quidem vi obsidionis ausi sunt Britanni de civitatis deditione sperare, nisi post factum in praecipuam arcem formidabilem impetum, post perruptos, concisosque Havanenses, qui eam in armis tuebantur. Haec pluribus nominibus famosa urbs theatrum fuit Petro totis viribus laboranti ad annos ultra quindecim. Primum, quod dudum diximus, grammaticae superioris, inde philosophiae, postremo Theologiae Magister, omnem adhibuit operam, ut haec terna munera bono essent auditoribus, qui sibi committebantur erudiendi. Et sane obtinuit, ab ejus laborioso Magisterio complures fuisse progenitos, qui tum rei litterariae, tum christianarum virtutum gloria cumulati sunt; cum horum alii ad hominum Deo sacrorum Familias, alii ad Sacerdotum statum, quos vocant *Saeculares*, alii ad civilia munera postmodum adsci-

adsciti, suos inter pietate, ac doctrina excelluerint, et bonum Magistri nomen praedicaverint. Praefuit saepius adolescentibus in litteraria palaestra theses propugnantibus: quod nunquam illi accidit sine plausibus voce publica ipsi tributis; nunquam sine honore Societatis, a qua Magistrum agebat. Nec solummodo a scientiarum cognitione, profundaque doctrina plausus illi veniebant; sed potissimum a singulari ejus modestia, demissa in adversarium quemlibet reverentia, et urbana verborum charitate. Quae praecelsae dotes, et virtutes cum eaedem essent, sive propugnaret Rothea, sive impugnaret; iisdem plausibus, quibus propugnans, impugnans etiam excipiebatur. Pulcherrima certe doctrinae ornamenta sunt et vultus demissa gravitas, et linguae modesta continentia! Cum praesertim ea non ab arte quadam, sed a natura mire in suis operibus facili videantur procedere. Quae scripta discipulis in ludo dictabat, eo studio, efficacia, et intentione adlaborare assueverat; quasi periculum subitura essent ad Parisienses, aut Salmantinos Academiae Sapientes. Nec ubi ab Scholae defatigationibus requiescere dabatur, cessabat ille ab agendo, et Reipublicae bono procurando: nam summum in Morum scientia Magistrum, atque in Canonico jure inprimis eruditum, ex omni ordine Cives, consilii gratia, frequentissimi conveniebant. Dicenti ad populum laudes non vulgares dabantur tum ab ingenio praeclaris, tum ab indoctis; cum et istorum captui sermonem

accommodaret, et suaviter omnium mentes delectaret, et robuste corda permoveret. Ad haec, solicitus intendebat audiendis confessionibus, tum suapte natura pronus ad bonum animorum, tum ob suam dulcissimam comitatem, et singularem in eo Ministerio peritiam, a pluribus quaesitus ad sananda conscientiae vulnera. In iis tamen omnibus, quae tot sunt, ac tam diversae conditionis munera, nunquam ille anxius erat, nunquam agitatus aut vultu, aut animo; sed qua naturali compositione, ac majestate videtur piscis in lacu fluitare, avis per aerem volitare: ut profecto diceres, quidquid Petrus ageret, ex quadam esse animi voluptate, ac certo naturae motu, quem ars omnino imitari non potest.

Post annos plus quindecim in tanta defatigatione confectos, cum saeculi currentis anno sexto et sexagesimo Provinciae Mexicanae clavum Salvator Gandara susciperet, Petrus ad Emeritenses in Jucatanis Rector dictus est. In ea longinquitate ab urbe Mexico positus, post octo delapsos menses in Magistratus possessionem venit. Februario tandem subsequentis anni Emeritam ingressus, continuo in se omnium oculos traxit, et civitatis universae venerationem affabili juxta, et religiosa consuetudine sibi merito conciliavit. Ubi ubi compareret, pietatem, atque urbanitatem praeseferebat. Cubiculi solitudinem custodire in delitiis illi erat; nisi ad externa officia ratio novi muneris evocaret. In sacrarum concionum ministerio, in purgandis confessione animis, qualis Havanae

fue-

fuerat, idem fuit Emeritae; quanquam hic gravioribus, atque alterius ordinis occupationibus urgeretur; ibi enim gentium qui Rector Jesuitas, Rector etiam Regalem, et Pontificiam Emeritensium Academiam gubernabat. Hujus duplicis Magistratus oneribus ea quidem satisfecit animi, et vultus facilitate, quae virum decet ad omnia magnanimum. Doctores Academiae suspiciebant in Petro modestum Sapientem, gravem Litteratum; Socii venerabantur Moderatorem, cui nulla in moribus macula; cui dotes erant praecipuae tranquilla comitas, actuosa charitas, religiosa demissio, solertissima prudentia. Atque hinc amor ille nunquam a reverentia sejunctus, quem subditi omnes ipsi praestabant: ut nunquam Petrum tum eo tempore, tum etiam postea, nisi summo cum honore appellare consuessent. Attamen paulo ultra tres menses Emeritae commoratus est: nam postridie Nonas Junias cum Sociis omnibus ibi degentibus exulare imperatur; atque incredibilibus terra, et mari superatis laboribus, ad Italiam transducitur. In tanta rerum novitate nihil ab se defecit Petrus, cui nulla incommoda satis erant, ut a nativa serenitate deturbaretur. Eodem vultu fuit exul, quo Magister fuerat, quo Rector Academiae; idem in contemptibus, qui in honoribus; idem ad Italos, qui ad Mexicanos. Bononiam tendere ab Superiore jussus, Theologiae Magister dicitur non mediocri Sociorum juvenum bono, qui tranquillissimae virtutis exemplar cominus inspicientes, prompt-

 tum

tum habebant hominem charitate praecipuum; a quo moesti recrearentur, quem dubii consulerent. Post muneris hujusce triennium, ejusdem domus gubernationem jubetur capessere: quod sane munus erat primae amplitudinis, tum a permagno Sociorum ibi commorantium numero; tum praesertim quod summi habebatur momenti, difficilibus illis temporibus juventutem moderari. Sed eo publicae venerationis Petrus jam venerat, tantis eminebat virtutibus, atque eo cautae, ac purgatae mentis judicio notus erat; ut nulla esset tam ardua provincia, quae fidei ejus, et religioni commendari tuto non posset. Ad annum solummodo juventuti Mexicanae praefuit: indicto enim Societatis excidio, et dispersione Sociorum imperata; sibi unumquemque consulere opus fuit. Petrus, qui, ratione muneris, vocatus nomine fuit ad Pontificis legem audiendam, tanto demissionis indicio legitimam potestatem veneratus est, ut et ipse legem denuntians, et complures rei testes magnopere mirarentur. Ita demum Jesuiticam vestem exuere coactus, pro reliquo vitae tempore iisdem fuit virtutibus, quibus in veste illa enituerat; quanquam in privata vita positus, et quaerens natura solitudinem, suas omnes virtutes intra domesticos parietes continuerit; unaque mirabilis illa et omnium, et singularum actionum aequabilitas memoriae tradita sit. Postremo vitae biennio complura illi supervenere valetudinis incommoda, quae nihil immutato vultu, et christiani herois digna fortitudine tolera-

leravit: donec anno saeculi nostri octogesimo, quintodecimo Kalendas Februarias, ducendi spiritus difficultatem noctu sensit increscere pene ad interitum. Continuo praenovit pulsantem Dominum, nec venientem Judicem formidavit. Mane facto, muniri sacro Viatico deprecatus est; etiam judicante Medico, nondum mortem appropinquare. Id igitur pietate singulari cum suscepisset: *Eja*, inquit, *paratus modo sum: veniant in me quaecunque Deus immittere voluerit.* Postridie unctus est Oleo sacro, quod moribundis ab Ecclesia remedium praestatur. Adaugebantur dolores, anhelus admodum respirabat; nec tamen ab illo verbum auditum est, quod non esset hominis ad religiosam patientiam omnino compositi. Semel, et iterum a familiari quodam interrogatus: Numquid esset, quo torqueretur ejus animus? *Quod est*, ajebat, *de conscientiae rebus*, *nihil certe quidem: tanta est in me Dei misericordia!* Id enimvero, nonnulli crediderunt, eximiae tolerantiae in conscientiae olim angoribus fuisse praemium: animus enim, caetera aequabilis, ac perpetuo tranquillus, hoc uno Deum offendendi timore persaepe cruciabatur intrinsecus. Ita constanter pius, et religiosus, sui prorsus compos ad ultima propemodum suspiria, mirabili fortitudine conspicatus accedentem mortem; illucescente tandem die decimo Kalendas Februarias, nullis apparentibus postremi agonis indiciis, a misera mortalitate avolavit. Jacet ad Divae Luciae sacras Aedes, Templum olim Jesuitarum.

Fuit Petrus Rothea in Dei charitate praecipuus; a qua quidem ille non interruptus innocentissimae suae vitae cursus. A puero religiosus Numinis cultor, idem adolevit, idem ad aetatem firmam pervenit, idem e vita migravit. Erga Jesum Eucharisticum pietate insignis, a tenero assuevit, bis, aut ter in hebdomade, coelesti edulio refici, et per diem saepius ad ejusdem Jesu praesentiam venerabundus accedere. Sacerdos ad annos ultra primum et trigesimum, gravem duntaxat infirmitatem, aut quod iter agenti nulla esset omnino commoditas, causam esse judicabat, ut a Missae sacrificio abstineret: quod profecto Divinum opus ea faciebat reverentia, et gravitate, quae digna prorsus est hominis, qui Christum ipsum repraesentat, et qui nihil haesitans, praesentiam Numinis credit, quod verbo vocat, quod manibus contrectat, quod ore manducat. Jesum patientem, et Mariam Virginem dolentem praestantissima colebat pietate: quam nimirum in prima institutione ab religiosis Parentibus mutuatus est: quae pietas ne sensim intepesceret, depictas quasdam imagines et Jesu in cruciatibus, et Mariae in doloribus, ad constitutas diei horas exhibere sibi ante oculos praefinierat. In navi olim positus, utcunque maris jactationibus vexaretur; non omisit verbis excitare Socios, atque exemplo praeire, ad fervidas precationes, aliaque religionis in Superos exercitia. Verum hancce Dei charitatem maxime demonstravit in illo indefesso studio bonum animorum procurandi: ete-

nim

nim ab semet pretio sudoris adjuvari dignos existimavit, quos ipse Deus, mortalitatem indutus, pretio sanguinis ad sibi amicos adlegerat. Eamobrem et assiduus, et suavissimus erat in poenitentiae tribunali Minister. Aegrotis praestare operam, et maxima sedulitate inservire, semper in amoribus habuit. Neque id solummodo, cum de Sociis juvandis ageretur: erat Havanae in Jesuitarum Collegio valetudinarium pro servulis destinatum; in quo fere nunquam deerant infirmi aliquot, ut in coelo insalubri, et servorum multitudine, ad sacchari operas necessaria: cujus valetudinarii ministerium, tanquam proprium sibi munus vindicavit Petrus, dulcissimis verbis miseros recreans; ad expiandas confessione animas fervide cohortans; aures, cum ipsi peterent, nulla cunctatione praebens; Eucharistiam, et alias pro moribundis religiones ministrans; quasi Sacerdos esset ad id operis pretio conductus. Quo tempore, navali expeditione Havanam attigere Britanni, obsidione urbem occupaturi; dum cinctam oppugnabant copiae, Praefectus urbis prudenter imperavit, incolas omnes, ad defensionem non necessarios, in propinquos pagos recedere: tentavit Rothea, nec tamen obtinuit, in Collegio manere, propugnantibus laturus opem, si qui forte morerentur. Olim etiam cum e Veracruce Havanam versus navigaret, pene omnes tum vectores, tum nautae morbo correpti sunt, et quidem plures interierunt: Petrus, quanquam et ipse male se habens, nec maris incommodis assue-

visset; ingenti charitatis ardore ad omnes erat; sive animis auxilium, sive corporibus praestanda esset opera: unus quidem Sacerdos pro tot indigentibus; cujus tamen animi magnitudo plurium operam adhibebat. Paratum semper inveniebat, quisquis quaereret ab illo consilium: qua in re, singulari profecto sapientia fuit; ut ex omni hominum ordine complures numerentur, quos ille ad altissimam vitae perfectionem informaverit. In bono aliorum nomine tuendo, ac propugnando, fuit oppido dignus, quem admiremur, et memoria colamus aeterna: laudabat omnes, occasione vel data, vel quaesita; nec linguae unquam permisit verbum etiam levissimum in eos effundere, quos aut detractionibus, aut parum amica voluntate, male de se, aut Sociis, meritos esse intellexisset. Quae ab aliis incommoda necessario reperiebat in humana consuetudine, sive a pravis animis ea essent, sive a naturae vitiis; omnia ille dissimulantia, quae pene fidem exsuperat, tolerabat. Extat quidam notissima fide Sacerdos, qui comes Petro individuus ab Emerita in Italos, haec ad me testabatur de insigni Viri charitate: *Rothea toto navigationis tempore a pristino illo tenore vitae, ut religiosae, sic affabilis, non defecit; quanquam ipsi non defuerint ab hominibus dolendi, atque irascendi causae, quas vultu semper aequabilis, et de suo remittens jure, patientissime sustulit*. Illi nimirum erat in delitiis, parato semper esse animo, ut hominibus, quoties daretur occasio, proprio etiam incommodo, inserviret; ut contra,
nihil

nihil ipsi acerbius, quam aliorum opera, et ministerio indigere. Puellam piam sibi notam in sacrae poenitentiae arcanis, cum, diuturno in agone positam, Havanae pararet ad mortem; enixis precibus rogavit, ut idem mortis genus a Deo sibi aliquando impetraret: quam petitionem ipsi diutine laboranti Bononiae familiaris quidam recordatus est; cui Petrus illico: *Ita quidem, annuit benigne Deus; nec certe de meâ vice doleo, sed de Sociorum incommodo, qui mihi sunt in aegritudine administri.*

Sancta Ignatii Parentis Instituta egregio amore prosecutus est; quibus assidue volvendis, atque adamussim intelligendis operam dabat intentissimam; nec ab ipsorum legibus vel minimis voluntaria noxa deficere unquam videbatur. Haec instituta in vitae universae, ac singularum actionum normam sibi ante oculos cum proponeret; non interruptum otio bellum intulit, tanquam malorum omnium seminario. Hinc illa constantissima sedulitas, qua totum studendo insumebat diem, etiam quo tempore cessasse videbatur litterarum utilitas; nisi quod mentem recreant, atque in solitudine oblectant. Neque vero in iis libris evolvendis oleum, atque operam perdere consuevit; quorum studium aut otio funestius esse solet, aut certe consimillimum. Thomam Aquinatem, quem ab litterariae suae vitae pene infantia mirifice dilexit, aliosque robustae litteraturae sapientes auctores, ad ultimum fere spiritum frequenti manu versavit. Hacce librorum dulcissima requie delectatus, quid-

quid

quid supererat temporis a munerum occupationibus, in cubiculi solitudine latebat libentius, quam ab hominum communione solatium quaereret pro subsecivis momentis. In eo voluntario latibulo, Numini amando, sibimet intus cognoscendo, et scientiis exornando vacans; nihil ea scire curabat, quae sua non interessent. Olim Provinciae Praeses cum certior fieri vellet de re quadam, quae in Collegio, ubi Petrus immorabatur, acciderat, sciscitatus est ab illo per litteras; cujus responso lecto: *Videtur*, inquit Moderator ad Socium, *Petrus Rothea in Collegio*, *quod incolit*, *peregrinari; cum rem*, *ibi nulli non cognitam*, *vix obscurissime inaudierit*. Sed potissimum demonstravit Rothea, ex animo se amare Ignatiana Instituta, quae semel amplexatus fuerat, in votorum solemnium absoluta numeris omnibus observantia. Obedientiae quidem acerrimus fuit cultor, ad scrupuli fere terminos. Quanquam toto vitae suae religiosae tempore frequentes capitis dolores, aliaque valetudinis incommoda illum vexaverint, nunquam haec satis fuerunt, ut a Superiorum voluntate vel latum unguem discederet. Pro quovis renuntiaretur adimplendo munere, sive alterius vices agere juberetur; tametsi causas non leves haberet interdum, ut liberari ab onere postularet; causas eas omnes, propriumque judicium, atque etiam valetudinem, Superioris imperio posthabebat. Ita muneribus quibuscunque sibi commissis alacri semper conatu, et facili quadam elegantia satisfecit: et siquis e Sociis

ciis in officio quolibet constitutus, aut morbo corriperetur, aut domo abesset; nihil verebatur Superior, pro tempore Petrum sufficere. Cum pro merito destinatus fuit, ut supra demonstravimus, ad primarias theses Mexici defendendas; a Provinciae Praeside litteras accepit in haec sensa: *Vir quidam externus magnae auctoritatis a me postulat, ut primum honorem, tibi dudum collatum, cedere Socio velis, qui theses propugnaturus Angelopoli renuntiatus est: id, si omnino tibi libeat, sane per me fiat: non praecipio; nec enim tuo juri vim inferendam, aequum arbitror.* Quibus litteris Petrus in haec respondit: *Equidem superiori voce pro Mexicanis thesibus me accinxeram; nunc eodem nomine Angelopoli defendam, aut etiam nullibi: nam ad omnia paratum me reperies, quoquomodo imperaveris. quod, precor, facias liberrime, nihil juri consulens, quod habere possem: nam prae jure quolibet, honoribusque mihi charior erit obedientia.* Quam religiosam voluntatem cum legisset Superior, nihil censuit immutandum. Voluntariam inopiam inter prima hominum Deo sacrorum ornamenta judicabat: eaque propter nunquam passus est rem ullam pretiosam aut in sui corporis cultu, aut in domestica supellectili, nec etiam honesto pietatis nomine; quod cum praetenditur, plura solent mala in paupertatis perfectionem irrepere. Siquam, praemisso Superiorum consensu, pecuniam haberet, brevi tempore fluebat e manibus, quae certissima derivatio erat ad egenorum subsidium. A tenero modestus, et

cir-

circumspectus, nihil unquam aut opere, aut verbo in castimoniae laudem admittere visus est. Qua sane modestia utebatur maxime, tanquam armis praecipuis, atque omnino adhibendis in necessaria cum foeminis consuetudine; quas convenire, cum de ipsarum animis negotium ageretur, nihil recusabat; pro reliquis autem, ex patrio more, urbanitatis officiis, raro quidem ad earum domos erat, et nunquam nisi brevissime. Ad haec, delicatissimum illum flosculum praemuniebat assidua de internis motibus victoria; quam satis demonstrabat ille vultus ad modestiam compositus, et quem semper aequabilem memoravimus. Quod profecto haberi potest instar miraculi: cum perpetua vultus aequabilitas propemodum esse non posse videatur in homine, qui ad plures annos in multorum contubernio, et magna munerum varietate laboriosam vitam transegit.

Sed nimirum ex intimo animi sensu probaverat Sapientis Romani effatum: *Hominem esse quasi quandam partem civitatis, et universi generis humani, eumque conjunctum esse cum hominibus humana quadam Societate*. Proinde cum nihil non tentaret, ut hujus tanquam corporis pars esset utilis, et naturali vinculo cum caeteris partibus coagmentaretur; amicitias colebat sancte, atque humanissime. Affabilis admodum ad eos erat, quibuscum amicitiae necessitudinem semel inierat: illos, quoties opera egerent sua, totis viribus adjuvabat; consilio dirigebat fluctuantes animo; taedio affectos recreabat juxta

ta urbanis, atque eruditis colloquiis; bono nomine periclitantes, rationibus, et auctoritate defendebat; fidei observantissimus, in arcanis perpetuo custodiebat, quidquid amicus crediderat; siquae inter eos, qui sibi conjuncti erant, contentiones orirentur, neutrius ille partis cum esset, unum, alterumque conveniebat, eandem fidem utrique praestabat; in sermonibus familiaribus apprime festivus erat, verborumque salibus venuste jocabatur, quin religiosam dignitatem offenderet. His tantis animi virtutibus, et naturae dotibus, mirum est, quantam ubique sibi admirationem, et benevolentiam ut ab Sociis, ita etiam ab externis comparaverit. Havanae potissimum, ubi diuturnius commoratus est, ab omni hominum coetu plausus, et venerationis indicia Petro tribuebantur. Petrus Morelus, illustrissimus Havanae Pontifex, et Jacobus Echeverria, ejusdem Moreli tunc Vicarius, inde ad eosdem Havanenses, postremo ad Angelopolitanos Pontificia Dignitate auctus, Rotheam magnifecere; quem intima sibi notum consuetudine, ferventique ad tria lustra ministerio benemeritum de dioecesi existimatum, nonnullis honorum nominibus decorarunt. Theresia Santacrucia, opulenta inter primas Havanenses Matrona, Rotheam venerabatur tanquam hominem, quo nullum diceret novisse praestantiorem prudentia, urbanitate, constantia, et amabili sanctimonia: haec foemina in Socios apprime benefica (in exules praesertim per Havanam transeuntes) propalam asserebat: si unquam dare-

retur, exules illos in patriam restitui, unum id pro sua in Societatem benevolentia postulaturam se a praeposito Generali, ut Havanense Collegium Petrus Rothea gubernaret. Cum jussus ille fuit Emeritam Rector contendere, Patritii Havanenses universi maximo conatu adlaborarunt, atque enixe deprecati sunt, ne vir civitati charissimus, qui totos quindecim annos maximum civibus emolumentum importaverat, ab invitis, et lugentibus ipsis evelleretur. Equestris ordinis homo, navis illius Dux, qua Petrus Veracruce Havanam transductus fuerat, tanta illum veneratione prosequebatur, ut nunquam postmodum Havanam attingeret, quin ipsum continuo visitaret. Hujus tandem viri a nobis descriptae imagini postremam ponemus manum, ea nude referentes, quae Sacerdos intaminatae fidei, olimque in Petri familiaribus, ad nos ex intima persuasione testatus est: *Fuit*, ajebat ille, *Petrus Rothea modestissimus*, *honestissimus*, *animo sincerissimus*, *nunquam non verax*, *omnium amore*, *ac benevolentia dignissimus*. Quae sane verba et absolutum complent hominis elogium, et prae statua valent, quam suavissimae ipsius virtuti, atque in omnibus eximio merito erigere vellemus.

SAL-

SALVATOR DAVILA.

GRadu borealis latitudinis vigesimo primo, et dimidio; milliaribus ab urbe Mexico circiter ad tercenta, ferme ad Occidentem Solem, Guadalaxara sita est, nobilissima Civitas, quam Novae Galleciae Principem Nonnius Guzmanus ante saeculum, et sesquialterum, Hispanis adhuc recentibus in Nova Hispania, fundavit. Aedificata quidem est rectitudine viarum ad libellam, quarum etiam venuste spatiosa est latitudo. Illustris inter alia est a Pontificibus, quorum plures habuit sanctimonia praeclaros. Principis Templi Architectus ex iis profecto erat, quibus ab artis excellentia debetur nominis immortalitas; opus enim posteritati reliquit aeque supereminens elegantia, et majestate. In aedificiorum structuris luto acerato utuntur pro caemento; quo tamen luto dealbato, et laevigato, ad pulchritudinem, et firmitatem nihil caementitium desideres: neque vero mos ibi gentium inolevit domos, nisi raro, excitandi ad secundam contignationem; nec, ut alibi, fundamenta profundius effodiuntur ad superimponenda aedificia. Inter commercii capita numeratur argilla odora, quae figulis materia est ad efficienda vasa, hoc etiam in orbe ab suavitate odoris desiderata. Ingenia enascuntur quasi nativo privilegio clarissima; et passim vi-

de-

deris vel e populi faece complures, qui tanta sunt mentis excellentia, ut patriae ornamento essent, si ad scientias informarentur. Permagnam civium copiam dedit hoc saeculo Guadalaxara Societati, qui ad praeclaros doctrina viros in Mexicanis relati sunt; quorum in numero, et quidem inter primos, habitus est Salvator Davila, Idibus Martiis, anno 1727, natus honestis, et pietatis laude nulli non notis in urbe tota Parentibus: a quibus quanquam prodiere filii, filiaeque virtutum haeredes, piissimum tamen illud germen Davilarum interiit: nam quae foeminae quatuor erant, ad Sacras Virgines, mares ad Sacerdotes adsciti sunt duo, tertio caelibe remanente. Is, qui nomine Salvator, Matri semper fuit in delitiis ab indole liberali, propensaque ad pietatem, et litteras; et pueritiam egit, quam fieri potest, innoxiam. Latinis elementis cum dedisset operam, inde politioribus litteris, et philosophicis artibus, ad omnia idoneum ingenii acumen demonstravit, et consuetis honoribus nunquam non inter primos insignitus est. Ingens illi fuit gloria, quod in philosophiae stadio currens aequo pede cum adolescente sublimis admodum ingenii, uterque propius accesserint ad eorum condiscipulum Antonium Lopezium Portillum, et pone ipsum eadem fere lauro coronati fuerint. Hic est Portillus ille, cujus nomen honos erit aeternus Mexicanae Academiae, quae demirata olim est, et plausibus excepit incredibilibus, triduo toto scitissime, atque elegantissime propugnantem om-

omnigenae Philosophiae, Theologiae, ac Juris utriusque theses, cum adhuc ille adolescens vix aetatis annum tertium et vigesimum numeraret; pro cujus tridui meritissimo praemio, Philosophiae, Theologiae, ac Juris utriusque laureis illum gratis praecinxit Academia; qui notus etiam deinceps Matriti singulari sapientiae nomine, Mexicum remissus est in Canonicorum Collegium adscribendus; a quibus postea translatus ad Hispanos, Ecclesiae Valentinae creatus Canonicus, gratulationibus exceptus, et honore summo habitus a Collegis, Optimatibus, et civibus omnibus; immature tandem, moerentibus amplissimae civitatis universis ordinibus, fato concessit tertio Idus Januarias, anno millesimo septingentesimo octogesimo: quo nimirum eodem die post annum mortalitatem exuit Salvator Davila, qui et ephebus ephebum, et vir virum in amicis, et charis admodum habuit Antonium, a quo vicissim tenerrimae amicitiae significationes accepit; ac pares innocentia, et castis moribus, mutuam alter alterius venerationem in sepulchrum intulerunt.

Salvator, vix emenso philosophiae curriculo, in Societatem cooptatus est, ac tirocinium inchoavit decimo tertio Kalendas Quintiles anno 1745. Jecit ibi fundamenta plusquam mediocris virtutis, quae ad morum elegantiam optime conformata, effecit tum tironem contubernalibus acceptissimum, et postmodum, ubicunque degeret, a nemine non laudatum, a pluribus ad intima necessitudinis vincula quaesitum.

Pie modestus, in colloquio affabilis, religiose in omnibus compositus, fervens Numinis cultor, animo demissus, qualis futurus erat in litteris, in muneribus, in aula Mexicani Praetoris, in calamitatibus, in periculis, in contemptibus; tironum Magistro charus probationis biennium exegit. Ab hoc statim ad repetenda latina elementa, et ad rhetorica studia evocatus, non diu fuit, quin eos progressus faceret, ut omnino videretur natus ad Musas, et quidquid est politiorum litterarum. Huic a natura facilitati ad ejusmodi amoena Salvator adjunxit indefessam operam: ut profecto in Lojolae praescriptionem de nullis otio concedendis induciis, nec eo studiorum curriculo, nec ad munera postmodum evectus, unquam ille peccaverit. Ab his autem immissus Angelopolim, sublimis ingenii specimen post annum dedit in philosophiae totius experimento. Inde renuntiatus Praefectus in Mexicano puerorum Seminario, qui grammaticis dabant operam; horum institutioni tam christianae, quam civili, ac litterariae, biennium totum accuratissime intendit. Et hic plane fuit, ubi coepit adolescens ad scientiarum universitatem oculos vertere, ac nova menti ejus claritas illuxisse visa est. Jam tum cogitavit animo, quam sit homine dignum, sapientum vestigiis insistere; quam pulchrum, ornare mentem novis cognitionibus, quae juvant ad honestam animi remissionem, et quae hominem expoliunt, et a rudium communitate discernunt; quam utile, naturam investigare, atque universi

mun-

mundi librum legere, quem Sapientissimus ille, qui nos creavit ratione utentes, apertum voluit esse ad humanam eruditionem; quam denique idoneum ad omnigenam Sapientiam, assidua manu versare libros, ut ea discantur, in quibus insudarunt Plato, Aristoteles, aliique plurimi anteactarum aetatum Sapientes; et quae novis luminibus illustrarunt Cartesius, Leibnitzius, Newton, aliique primae magnitudinis recentiores, qui tot arcana in sudore vultus a natura extorsere. Quare constituit Salvator, quidquid sibi unquam otii superesset ab studiis primae utilitatis, quae sane suis imperabat, et quorum Magistros affatim instructos praebebat Mexicana Societas; quidquid ab his, inquam, superesset, totum impendere in linguarum Gallicae, atque Italicae cognitione, quae tanti sunt hodie litteratis; in historiis et prisci temporis, et posteriorum aetatum evolvendis; in auctoribus, quibus optimus est litteraturae sapor, versandis. Procedente sane tempore, maximopere excelluit naturae investigandae studio; nimium quantum delectatus est geographicis cognitionibus, nec geometricas, et astronomicas omnino ignoravit. Sapientiae igitur magnum aedificium, dum puerorum esset Praefectus, machinatus est, atque inchoavit; nec reliquo vitae spatio cessavit unquam ab opere magis, magisque perficiendo. Sane laudabilis eo nomine, quod ex illis fuerit lectissimis viris, qui primi viam aperuere in Mexicana Societate ad ejusmodi politissimas, et amoenissimas litteras, ibi ad ea

tempora parum, aut nihil excultas; et quarum utilitas ad humanam consuetudinem hodie nota est omnium gentium experimento.

Biennium hic exegit summa cum laude; atque inde praeficitur pueris, qui ad philosophicas artes erudiebantur. Neqne vero in hoc novo munere ita solutus fuit ab omni alia cura, ut studiis praedictis posset commodissime intendere; nam eodem tempore debuit ipse de more vacare Theologicis; quorum absolvit quadriennium, confirmato sibi nomine tum religiosae honestatis, tum gloriae litterariae, quae bina fundamenta erant ad animorum bonum ex Societatis mente promovendum. Ad sacros ordines evectus, atque in rebus pietatis tertio probatus Angelopoli ad Sancti Spiritus Collegium, Tepotzotlanum immittitur Novitiorum Minister. Et erat ad hoc muneris omnino idonea vita ejus inculpata, quae tota versabatur inter pietatem, et litteras: proindeque praeibat tironibus modestia, et sanctis moribus; et, sive in sacello esset, manifesta erat omnibus fervidissima ejus in Numen religio; sive per deambulacra transiret, sive ad domestica officia compareret, mansuetam temperantiam vultu, et oculis respirabat; sive ad ipsius cubiculum tirones confluerent, charitate affabilis omnes, et singulos excipiebat. Cum autem soleat aetas tenera, praesertim in sacrae militiae primordiis, a malo genio vexari, ut terga vertat susceptae austeritati, redeatque ad mundanas delitias, quibus ultro renuntiaverat; praecipuus erat Salva-

tor

tor in consolandis afflictis, eisque apud ipsos conserendis colloquiis, quae moerore oppressos recrearent, ac titubantes in via pietatis confirmarent. Post annum vero, et paucos menses Magister creatus est pro Sociis adolescentibus, qui statim a tirocinio ad humaniores litteras in eodem Collegio informabantur. Et hoc erat theatrum admodum consentaneum hominis indoli, et consummatae peritiae in latinae linguae proprietate, in rhetoricae illecebris, in musarum delectamentis. Mille artibus usus est, ut suo Magisterio commissi ejusmodi litterarum utilitatem animo conciperent, et rectam viam instituerent ad obtinendam excellentiam et in latina elegantia, et in arte dicendi, quae aliquando illis esset utilissima pro Societatis ministeriis. Qualibet hora sive diei, sive noctis auditores Davilam convenirent, ut nemo unquam ab labore cessantem illum, ita etiam ad explicanda, et miris modis enucleanda dubia nemo non promptum reperiebat. Digito illis demonstrabat, quae fugerent vitia, quae sequerentur exempla; et nulli parcens industriae, certissimas leges constituebat, quibus ad auream latinitatem informarentur; et quibus auctorum, quos maxime legendos praescribebat, optimum saporem gustarent. His tantis artibus, et sudoribus tandem adeptus est, ut plures ex suis tunc auditoribus in latini sermonis venustate, ac proprietate eminuerint: quidam praesertim ex ejus disciplina prodiit, qui et Davilae post annos aliquot in Magisterio successit, et post-

modum translatus ad Italos, nonnulla typis commisit, quae sane fuere argumento, Musas in charis habitas fuisse ad Socios Mexicanos. Angelopolim ab hoc officio revocatus Davila, Magister constituitur, qui philosophiam doceret externos; apud quos triennium insudavit in iis, quae tradere jubebatur, potissima efficacia dilucidandis. Neque vero intermittebat in subcisivis horis plura disseminare ad suos auditores de geographicis, historicis, aliisque id generis rebus, quae tum sciendi cupidinem mirabiliter excitant, tum captui puerorum inprimis consentaneae sunt, tum etiam illorum mentes venustissime exornant, et viam ad graves disciplinas non nihil faciliorem consternunt. Satis probavit doctrinae hujus efficaciam Josephus Lazus, tunc Salvatoris discipulus, praeclaro ingenio adolescens, hodie vero Sacerdos primi nominis ab laude litterarum, atque Veracruce, patria sua, merito evectus ad ejus urbis primarium Sacerdotium.

Inter haec Mexicum advenerat Joachimus Monserratus, Marchio Cruillensis, a Carolo Borbonio, hujus nominis tertio Hispaniarum Rege Praetor in Nova Hispania designatus: qui Praetor non levi studio Societati favens, ab ejus ibi gentium Moderatore flagitavit Magistrum Socium pro binis filiis, et filia. Conspicui muneris honor Davilae datus est, quem ab animo, et ab ingenio dotes amplissimae commendabant. Ergo confecto philosophiae Magisterio, Mexicum accersitur in domum Profes-

so-

sorum; unde mane, et vespere quotidie Praetoriam conveniebat, et praenobiles pueros diligentia, et accuratione, quae fieri maxima potest, erudiebat. Quidquid cognitionis habuit et a natura, et ab industria, et a docendi experientia, totum adhibuit, ut sensim, et nulla adolescentium molestia in illorum animos introferret litterarum cupidinem, earum praesertim, quae et moris hodierni sunt, et in aulae splendore degentibus consentaneae judicantur. Neque vero id potissimum in curis habebat Praetoriae gentis Magister; sed tenellos animos ita in civilibus conformare ad aulicam elegantiam, ut altas radices insimul emitterent in pietatis, et religionis observantia; ne olim cum adolescerent, divitiarum copiis, gentilitiis imaginibus, assentatorum artibus, munerum amplitudine inebriarentur, et, quod primum est Christiani viri officium, fastidirent. In quo quidem procurando, piissimorum Parentum voluntati obsequebatur, qui maxime illum urgebant, ut ephebi, quos ejus fidei commendarant, non ante in mali cognitionem, quam in salutarem timorem Numinis pervenirent. Et puella praesertim attentissime studebat Magistri consiliis, et quamlubenter vacabat iis cognitionibus comparandis, quae sexum ejus, et conditionem decebant. Quae nobilis Virgo saepe inaudiit Davilam sibi dicentem: *Equidem haec omnia tibi olim auguror profutura: nam ut tua est claritudo, et caeterae dotes, nubes aliquando cum viro ex Hispaniae Optimatibus, qui fortasse Legatus ad Reges*

immittetur, *et cui jucundissimum erit secum uxorem ferre*, *quae studuerit gentium moribus*, *et linguis*, *et urbibus*, *et quae multis ornata cognitionibus*, *perinde atque in patria esset*, *facile se componat ad externorum honestam consuetudinem*. Et sane vaticinari visus est: illa enim tum puella, post annos aliquot clarissimo sanguine maritum sequens Marchionem Almodovarem, Legatum ab Rege Hispano, Taurinos, Ulysipponem, Londinum contendit. Praetoris, et ejus conjugis benevolentiam sibi inprimis Davila comparavit ab suavissima urbanitate, religione, modestia, et temperantia. Gaudebat uterque hunc filiis contigisse institutionis auctorem, et pueritiae arbitrum, quem moribus integrum, lingua cautum, multis litteris eruditum, colloquiis amoenum, ad omnes affabilem, in assidua familiaritate agnoverunt. Et non leves quidem ab illis habuit hujus benevolentiae significationes; et diuturniora ejus colloquia desiderabant ambo, et Matrona praesertim fere precibus flagitabat; et propensam in ejus favorem voluntatem satis utique demonstrabant. Ille vero, cui sub manu semper erat festivissima urbanitas; nunquam non erumpebat in leporem aliquem venuste concinnum, quo et verba gratum animum indicantia, et sibi attributas laudes ab se averteret, et ab longioris colloquii precibus facili se negotio expediret. Favore autem Praetoris, aut ejus conjugis, nunquam profecto usus est, nec in rem Societatis, illis temporibus non leviter afflictae; nec in domum Pro-

fes-

fessorum, quae inopia premi solebat; nec in suorum cognatorum emolumentum, qui potuissent ejus commendatione non modice adjuvari; nec in plures candidatos, qui officia verborum ejus ad Praetorem postulabant. Munus enim inierat obfirmatissimo animo ad haec omnia caute admodum refugienda; ut illa etiam, quae sapere quavis ratione possent negotiorum administrationem: nec enim ignorabat, quanto cum periculo immisceant se se publicis negotiis, qui animorum utilitati deserviunt; et quantum ab invidia incommodum, quod aegerime sarciri possit, ejusmodi implicatio religiosis hominibus pariat. Concinnos aulicorum mores, elegantem munditiem, civilem urbanitatem et certe attulit ad Magisterium, et usu perfectius didicit; ut in his magni fieret inter primos, et a cunctis praedicaretur. Sed ultro voluit ignorare artes fallendi, et assentandi; quae perperam dicuntur in necessariis esse dotibus, ut aulicum coelum salubre tibi sit: nam et alibi fere audimus, et novit Davila in aula Monserrati nonnullos ab sinceritate, ac probitate laudatos.

Et quo tempore honorificum hoc munus maxima cum laude exercebat, mire probatus et Praetori, et Sociorum Praesidi; non idcirco immunis erat ab sudoribus alterius ordinis in publicum bonum animorum. Excellens enim cum primis in arte oratoria, mirabili dignitate, atque eximia quadam eminentis animi facultate ad populum e suggesto dicebat. Non habuit a natura canorum illud, quod in voce

splen-

splendescere, ait Tullius; non etiam concitatum impetum dicendi, nec ad sustentandam contentionem idonea latera; sed sortitus altum, docile, ac feracissimum ingenium, omnino mirabilis erat in ea parte, quam inventionem appellavit Romanum oraculum. Adeo quidem ut vir emeritus, et in laude dicendi ad populum primus admodum aetate nostra in Mexicanis, identidem a Davila pro inventione consilium requireret. Inventa limatissimo stilo, et doctrina liberali concinnabat Davila; nec ulla erat orationis virtus, quam abunde non attingeret. Ita vero ut non ille videretur industria quaesiisse, sed sponte in calamum venisse rhetorica ornamenta. Fuit in eo quoddam facundiae genus facile, copiosum, sententiarum luminibus conspersum, specie novitatis jucundum, gravitate, ac dignitate splendidum. Quidquid e suggestu tractandum assumeret, verbis e Divino Codice omnino ad rem natam allatis dilucidabat: ut profecto dubitares, num rem proponeret ad enucleanda Divina verba; num vero haec afferret ad rem propositam explanandam. Sacris abuti verbis ad ea promovenda, quae magis acuebant ingenia, quam animos inflammabant, nunquam sane auditus est; sed orator ad sacri loci majestatem semper compositus, ea tractabat, non quae sui admirationem, sed quae pietatem excitarent; iisque verbis, quae in audientium utilitatem ab Sancto Spiritu derivabat. Mexicani milites Hispanae militiae manibus in domus Professorum templo quotannis

paren-

parentabant, Praetore, Senatu, nobilissimo Decurionum Collegio, magna Patritiorum copia, et militibus universis ad magnificum luctum convenientibus: pro qua hominis maximi solemnitate dictus Davila orator anno 1765, amplissimam, gravissimam, et funebri eloquentia plenam adlaboravit orationem, quae mire commovit omnium animos, induxitque ad miserationem, ut defunctis Hispaniae militibus pacem ex animo precarentur; quae sane mens fuerat Philippo Borbonio Hispaniarum Regi, qui bono aeterno militum, hanc funebrem memoriam per universam suam ditionem imperavit. Maximopere increvit hominis eloquentiae fama, quam eximiis laudibus vulgavit nobilissimus ille consessus; Praetor vero, qui nunquam Davilam audierat e suggestu dicentem, in haec officiosa verba ipsum allocutus est: *Hac una certe laude te nesciebamus excellere; bene tibi vertat, quod nulla est ingenii virtus, quae te non exornet, atque inter primos extollat*. Luculentissimum praeterea testimonium habemus de Davilae oratoris excellentia: nam ille ipse, quem supra demonstravimus, primum in hac laude nomen meruisse ad Mexicanos, et qui proinde justus meriti aestimator censendus est; hic, inquam, ipse ad nos, qui haec scribimus, et testamur, familiariter olim asseverabat: *Inter egregios, qui Socii sunt in hac urbe Oratores, eloquentiae sacrae principatum cum dignitate occupat Salvator Davila, qui et mirifice invenit, et pulcherrime exornat, et gravissime narrat, et*

tua-

suaviter delectat, et fortiter persuadet; quanquam a vocis vitio, et nescio quo timore in dicendo, non is omnino videatur, qui reapse summus est. Hic vero Davila, qui nullius testimonio non erat inter praecelsi meriti Oratores, nunquam suggestum conscendebat, quin ex familiaribus alicui suam orationem subjecisset, a naevis, ut ajebat, repurgandam. Et superest vir quidam primae veritatis, et probatissimi judicii, qui ad nos testatus est, olim se ad profundam Davilae demissionem vehementi admiratione defixum fuisse; qui Davila cum de more detulisset huic Socio corrigendum, quod e suggestu dicturus erat, et hominem ex merito laudantem audiisset, desiderantem tamen, ut major superadderetur efficacia, quae paulo plus alliceret, ac veluti expergefaceret animos; actutum labori se accinxit, et mira facilitate novam condidit orationem, eamque efficacissimam, elegantissimam, et quam censor idem judicio suo invenit omnino accommodatam.

In his erat Davila multiplicis ordinis laboribus, aeque Sociis, atque externis in amore, ac veneratione habitus; cum Monserratus a Praetura cessavit, et Cholullam discessit, ibi immigraturus, quo toto tempore, ut in moribus Hispanis est, rationem gesti Magistratus reddebat. Cholulla sita est in aperta, et jucundissima planitie, sexaginta circiter a Mexico milliaribus ad Orientem solem, brevi autem intervallo ab illa montium altissimorum corona, quibus vallis Mexicana circumdatur. Fuit olim

inter

inter urbes Imperii clarissimas; hodie vero nullius fere dignitatis, et nominis, nisi a priscorum temporum et numerosissimis civibus, et pingui commercio, et famoso Templo, et pluribus religionibus: a quibus religionibus ait Clavigerus, fuisse Cholullam illis gentibus, quod hodie Roma Catholicis. In hoc oppidum Monserratus discedens, Davilam voluit in viae comitibus, et diuturnae mansionis contubernalibus: quod quanquam arduum videbatur in Mexicana Societate, ubi nunquam datum est Sociis, longo tempore ad externos divertere; negari tamen id non potuit benevolo Principi, qui tantis propensi animi significationibus communi bono Sociorum in Praetura studuerat. Et Provinciae Moderator cum id concessit, magni certe virtuti Davilae confidebat, ut nulla inde fieret Societatis honori jactura. Nec profecto fefellit hominem praeconcepta fiducia: Davila enim ad plures menses commorans in Praetoris familiaribus, et oblectamento erat omnibus ab erudita consuetudine, a festiva urbanitate, ab aequabili semper affabilitate; et quidquid loqueretur, quidquid ageret, pietatem elegantissimam, ac prorsus dignam religioso sapiente, respirabat; et Praetor, ejusque piissima Conjux, qui ante hoc tempus magnis laudibus hominem efferebant; ab eo contubernio ipsius animi dotes, cultissimam litteraturam, et praecipuam religionem incredibiliter admirabantur. Illi tandem Cholulla Veracrucem profecti sunt, Davila ipso comite, quem non, nisi soluta e

por-

portu navi, divelli ab se permisere. Ut vero solverunt, Angelopolim Davila contendit, jam pridem renuntiatus, qui a Praetorio Magisterio Seminarium Divi Ignatii Rector gubernaret. Sed vix id muneris inierat, cum indicitur profectio Sociorum ab Hispanis finibus; et Davila (ut alibi alii, qui rem domesticam administrabant) in coenobio Fratrum, quos *a Mercede* appellant, custoditur; dum Seminarii codices publici volvuntur, et rationes censuum putantur. Post undecim ipsos menses, quos in ea exegit custodia, Veramcrucem iter instituit, et post breve dierum intervallum vela solvit e patrio regno, sane tranquillus: quoniam et Numen sincerus adorabat, cui vitam suam, et se totum ferventi religione commiserat; et comites peregrinationis ferebat secum libros aliquot, et ingentem plura sciendi cupidinem, quod certissimum in humanis calamitatibus solatium est. Hac ductus cupidine omnia discendi, quaecunque ignorabat, obvium quemque rei nauticae peritum interrogabat, occasione quidem quaesita, ne sui fastidium generaret. Ita quidem, quae vocabula nautis peculiaria sunt, et quo nomine appellarentur vela quaevis, et mali, et funes, et qui rerum usus, et quae ratio milliaria dimetiendi, et clavum gubernandi; cuncta brevi didicit, ac tenacissime retinuit. Delectabatur nimium quantum astronomicis rebus; Ptolomeo, Tychoni, Copernico de mundi constructione, lubentissime, atque intentissime studuerat; famosas Kepleri leges de motu, et mu-

tua

tua distantia Planetarum ad periodici temporis rationem, quo unusquisque ambit centrum commune, ingenti sudore didicerat; et universim in delitiis habebat, quidquid est de hujusmodi rebus, aut novum condiscere, aut prius in libris intellectum, experimentis evincere. Atque ea propter cum navis Magistrum utilem sibi ad ea studia perspexisset; in ejus amicitiam sensim irrepsit, a quo plura quaerebat de vi magnetis ad navis cursum dirigendum, de motu siderum, de tractando *Astrolabio*, de meridie observando. In quibus omnibus tanta rei cognitione, ac veluti Magisterio loquebatur, et quidquid novum inaudiret, tam facile intelligebat; ut plane nosceret navis Magister, non primis duntaxat labris ea Davilam degustasse. Hunc profecto magnifecit praedictus navis Gubernator; et ab eo pro datis Astronomiae luminibus vicissim habuit suavissima de rebus aliis colloquia, et consilia in animi bonum salutaria.

Post longissimam navigationem Gades appulsus est, et in proximo Mnestei portu menses aliquot commorans, fuit ibi ab Sacris Confessionibus Augustino Marquezio, qui pro Moderatore Socios gubernabat. Demonstravimus olim, Marquezium adumbrantes, quibus angoribus purgatus fuerit vir ille inculpatissimae vitae totos ante obitum quadraginta dies. Et Davila quidem, qui et hominem inprimis venerabatur, et afflictum quemlibet intueri non poterat, quin ad miserationem moveretur; diligentissimam adhibuit

hibuit

hibuit operam, ad immanem illam tempestatem sedandam. Nulla certe fuit eloquentia, (sic ludente in humanis Deo) quae ab Augustini mente inanes illos terrores omnino abigeret; quanquam diu, noctuque divexatus aeger, assidue Davilam consuleret, de praestando sibi auxilio rogaret, atque infimis precibus urgeret. Hi terrores, qui mirum in modum repurgarunt Marquezium, virum illibatissimis moribus, et notissima sanctimonia; ita in animo Davilae jugiter insculpti manserunt, ut identidem ipsi essent argumentum Dei judicia venerandi, quae debemus mortales demissione proni adorare, nec elati superbia investigare. Ab Hispanis transductus Davila Bononiam in Aemilia, primum in suburbano, cui Tusculanum est nomen, paucis ab ea urbe milliaribus commoratus est; inde Bononiam appellatus, vitam ibi egit quadriennio in religione, ac litteris placidissimam. Unum autem interturbavit hominis pacem, quod post modicum temporis, Rectorem illum creaverit Provinciae Moderator. Exempli fuit sane memorandi, Davilam intueri vultu agitatum, et incredibiliter conturbatum ad inopinatam muneris notitiam; atque omnino patuit, ad hunc unum eventum non reperiri paratum hominem, qui nunquam non aequo, et libenti audierat animo superiorem praecipientem. Et subiti tumultus ea quidem fuit causa: quod cum parce admodum, et modice de semet sentiret; accidere non posse prorsus arbitrabatur, appellari se unquam ad Sociorum gubernationem. Ob-

mu-

mutuit enimvero, et non quidem annuenti, sed suspenso animo, ad cubiculi solitudinem confugit, ut rem in conspectu Numinis ponderaret. Constituit tandem, animi sui molestiam, et renuendi momenta commendare litteris, Moderatori tradendis; nec illa voluit coram exprimere, ut animi sensa liberius, et consideratius enuntiaret; neve contingeret, ut vel pudor, vel reverentia viro debita loquentem intercluderent. Quid in his litteris agitaret, fere ignoramus; nisi quod praecipue assumeret evincendum: se neutiquam esse hominem, qui praeficeretur aliis, cum assiduos animi sui tumultus nesciret omnino moderari. Generatim audivimus per eos dies, litteras illas et fervidissima eloquentia, et mirifica temperantia plenas fuisse: quibus lectis, Provinciae Moderator liberum eum fecit a munere, quod tanti formidabat. Solutus hoc periculo, privato litterarum oblectamento maxima cum voluptate institit; quae ut etiam ab Sociis aliis, praesertim juventa florentibus, colerentur, nihil non tentabat, et nullibi non causam litterarum amplissimis verbis agebat. A Josepho Vtrera, qui tum praeerat Mexicanis, onus illi jucundissimum fuit impositum, ut lectos aliquot juvenes de physicis rebus, et litterario sapore hodierni moris erudiret. Cui sane imperio totum se dedit quam diligenti alacritate, nec modico emolumento Mexicanae juventutis; quae nunc etiam grato animo plaudit memoriae tanti viri, cujus modestam pietatem litterarum fere universitas cumulabat; et cujus erant in doti-

bus ad consummatum Magisterium, affabilis patientia, praecipuus quidam verborum nitor, et oppido singularis claritas in iis, quae docebat, ad apertam demonstrationem enucleandis. Per id etiam temporis injuncta illi fuit provincia, ut hispano vernaculo posteritati mandaret res gestas ab Augustino Marquezio, et Nicolao Calatajudio; quibuscum ipse familiater egerat, et Nicolaus praesertim Davilae fuerat in amicissimis, ac summa necessitudine conjunctis. Et nos quidem, cum hos viros pietate singulares adumbravimus, maximam eorum partem, quae attulimus, a Davilae scriptis decerpsimus. Utinam ut rerum memoriam, potuissemus in haec nostra elegantissimum, venustissimum, et maxime urbanum Davilae calamum derivare! Ad eorum etiam exemplum, qui vitam agunt in mundana magnificentia, pulcherrimis descripsit coloribus Joannem Castagnizam, equitem in Mexicanis ut genere insignem, et fortunis opulentum, ita et probitate integerrimum, et singulari quadam rerum prudentia praeclarissimum. Post Societatis excidium non intermisit ad Socios juvenes litterarum studium promovere: cohortabatur illos, quam poterat efficaciter, ne collocati in excultissima Italia, et in urbe amplissima, et in hoc otio, quod Deus illis fecerat, praeterlabi occasionem paterentur, mentem novis cognitionibus, et optima litteratura exornandi. Et ipse quidem suam illis operam pollicebatur, ipsorum domos in gymnasia excitabat, ultroque litterarias merces exhibebat:

more

more nimirum negotiatorum, qui vel aperta in officina expectant coemptores, vel ultro, citroque vagantur, ne ulla vendendarum mercium dilabatur occasio. Illo etiam nomine vere sapiens, quod mire delectabatur communicando sine invidia cum aliis emolumento, quod ipse tanto sudore a bonis disciplinis exhauserat.

Caetera nihil discedens ab religionibus, quibus olim eminuerat, vitam egit penitus inculpatam, et pie tranquillam. Inopia sua contentus, cubiculum apud quemdam Bononiensem conduxit, cui non mediocria contulit beneficia: et quanquam, ut in hominis pauperrimi contubernio, incommodo uteretur diversorio, et pessime manducaret; demigrare inde tamen noluit, ne miserae familiae deesset auxilium, quod illi erat ab inquilini pecunia. Quod siquis ex amicis ei persuadere conaretur, ut ab illa domo discederet: *Atqui*, nativa lepiditate ajebat, *praestat me pati modicum*, *quam alios fame vexari*. Anno 1780, mense Decembri, cubiculi ejus locator gravissima febri correptus est: aegrotanti adfuit Davila insigni charitate; sed contagione afflatus in eamdem febrim incidit. Et primo quidem non is videbatur morbus, qui tanti meriti virum immature a nobis auferret; post dies tamen aliquot, obstinato febris aestu, et aegri languore increscente, ad postremas religiones ventum est. Atque ut praenovit Davila, imminere sibi profectionem ab hac mortalitate, scripta sua omnia flammis adjudicavit; et vocato ad se familiari quodam intimae necessitu-

 dinis,

dinis, incendii decretum exequi commendavit. Quod ejus temperantiae illustre monumentum et magno moerori fuit nonnullis, qui nihil dubitant, plura Davilam aeterni nominis digna calamo adlaborasse; et in causa est, cur ita pauca supersint ejusdem litteraturae vestigia; nisi quae ab longa cum ipso consuetudine in civium animis manent insculpta, nec ulla certe oblivione delenda. Paucis ante mortem horis, familiarem alloquens, constanti, et sereno vultu in haec memoranda prodiit: *Hac nocte, spero, me ingredi regionem veritatis*. Et sane ingressus est, vitam claudens tertio Idus Januarias, anno 1781, aetatis nondum completo quinquagesimo quarto. Ingenti Sociorum luctu decoratae fuerunt ejus exequiae, jacetque ad Divorum Cosmae, et Damiani. Non oris forma, non corporis praestantia, sed morum dignitas, religiosa pietas, et singulares animi dotes Davilam commendabant. Praeter ingenii excellentiam, quam sine dubio infra meritum laudavimus, plures fuere virtutes, quae virum hunc religiosissimum sapientem, civem perfectissimum, contubernalem apprime amabilem constituerunt. Gerebat se in Superiores reverentia maxima, in aequales mira, et sincera demissione, in sibi inferiores aequabili comitate. Sapiebat omnino sobrius, nec ultra humanitatis terminos curiosus inquisitor, nec judicii sui tenax, nec pervastis cognitionibus inflatus, nec se supra caeteros magnifaciens, nec alios vel minima significatione contemnens; quin imo quasi na-

si na-

si nativa indole ad alienas laudes ferebatur; et cujuslibet vel nationis, vel familiae, vel gradus, vel ordinis esset aliquis, qui laude quavis excelleret, Davila coram plaudebat, absens praedicabat, et quidquid putabat mirabile, sincerus admirabatur. In quotidiana consuetudine conjunctissime, atque amantissime vivebat cum iis, quos longo annorum usu ad sibi amicos numeraverat. Et certe habebas in Davila constantissimum virum, qui nulla unquam ratione jus honestum amicitiae desereret, qui te calamitosum consolaretur, inopem adjuvaret, errantem dirigeret, moerore oppressum recrearet, quem in dubiis consuleres, quicum curas partireris. Numen fervidus colebat, gratus amabat, castissimo cum timore adorabat; et cum voluptate meminimus ejus piam solicitudinem pro rimandis conscientiae arcanis, atque excitando fervore, quibus diebus ad animum sacra poenitentia tergendum accedebat. Didicit ab sacrae militiae tirocinio motus internos frangere, et corpus macerare; nec ab his praeliis unquam destitisse, satis probant quaedam ejus authographa scripta, quae forte fortuna demonstratum incendium evaserunt. Naturae vitium habuit, quod, nisi ex illi amicissimis esses, facile suspicabatur, te de illo male sentire; quanquam id etiam altissimo silentio fere premebat: et quid offendamur una macula, eaque levissima; cum plura in illo nituerint, ad absolutam constituendam animi excellentiam?

JOSEPHUS MELENDEZIUS.

HOminem memoramus parvo quidem corpore, sed ingenti animo praestantem, Josephum Melendezium; quem nemo novit consuetudine, quin ejus naturae dotibus, atque animi virtutibus ad benevolentiam in ipsum raperetur. Duodecimo Kalendas Februarias, anno duodevicesimi saeculi vicesimo septimo natus est Angelopoli clarissimo genere, cujus Pater Ferdinandus Melendezius ab illustri, et perantiqua in Asturibus Melendeziorum gente (sive Menendezios appellare quis velit; nam variat orthographia) originem ducebat Hispanam: postquam vero se in Americam contulere Melendezii, trahebat atavos a Petro Melendezio, qui temporibus Caroli V. et Philippi II. peritia navali, et gestis maritimis vir summus, honoribus etiam summis cumulatus fuit: inde rebus actis ad Floridam, terrestri pariter Marte percelebris: quam Floridam Philippus Caroli filius pacandam, stabiliendam legibus, et, si id ferret necessitas, debellandam quoque, icto foedere, Petro commisit amplissima potestate. Inde ipsi Petro *Adelantadi* titulum (liceat pro Hispano titulo, Tulliana aetate non cognito, Hispanum nomen usurpare; quod nomen est pro his, qui primi Provinciam aliquam addunt Imperio) *Adelantadi*, inquam, titulum, hono-

res,

res, potestatem, ac dignitatem patriis moribus addixit. Et Petri quidem posteritas, ubi primigenios inspicias, Canalejani Comites in Hispania veteri sunt; secundis vero partubus editi, alii, apud Floridanos constituta domo, nomen, et decus Gentilitium perpetuaverunt; a quibus erat Ildephonsus Melendezius, Jesuita Mexicanus, animi bonitate suis temporibus notus, et laudatus: alii ad Astures remigravere; a quibus Ferdinandus, qui aetate jam adultus, cum se in Novam Hispaniam contulisset, uxorem duxit Mariannam Quintanillam, non certe divitem, sed praenobilem puellam, quae paternum genus ab Hispanis Equitibus habebat; maternum vero ab celebri olim Tlaxcalae Senatore, Magiscalzinio; cujus consilio debuit Hispania ut pacatam, et amicam Tlaxcalam, ita et magna ex parte debellatum Moctezumam. Et hujus quidem Matrimonii mirabile initium hic non omittam. Marianna expiabat animum sacris confessionibus apud Nicolaum Seguram, Sociorum Rectorem in Angelopolitano Divi Ildephonsi Collegio, virum praecelsi meriti, et tanti ad exteros nominis, ut complures opulenti ultro ipsi offerrent pecunias pro puellarum collocatione, sive Jesum vellent sponsum, sive sancta mariti vincula. Et pecunias, quae primae deinceps hoc dotis nomine sibi obvenirent, Segura spoponderat Mariannae, ut compos fieret votorum, suam in aliquo gynaeceo dicandi Jesu Virginitatem. In haec Ferdinandus, rei prorsus inscius, orat Seguram, ut Ma-

riannam sibi uxorem a Parentibus compararet. Cui Segura: *Qnid hanc tibi cupis valetudinariam puellam, quae dare se Christo Sponsam ardenter desiderat; et certe jam se dedisset, nisi nobilissima virgo dotem ab aliena charitate expectaret?* At Ferdinandus: *Quod de valetudine est, meis impensis et accersatur Medicus, et quae hic imperaverit, puellae suppeditentur. Quod si hujus curationis tempore dotem quis illi confecerit, ut Divino Sponso se consecret; nihil impedimenti erit a me: sin minus dos illi dicatur; intelligat, se caste amari, atque in uxorem desiderari a Ferdinando Melendezio, cujus votis annuat, si libuerit.* Nullam toto illo tempore Segura dotem invenit, ad consecrandam Deo Virginem; vix autem haec iniit matrimonium cum Ferdinando, redivit ad hominis manus prisca illa pecuniarum copia pro dotibus numerandis. His Parentibus natus est Josepus Melendezius, de cujus vita delibare paucula nunc aggredimur. Et Parentes quidem fortuna utebantur non opulenta, nec tamen incommoda: pietate inter primos Angelopolitanos eminebant; ut ab hac praecipua laude digito notaretur quicunque ex illa beata familia. Matertera domi erat, Barbara nomine, quam ab integra temperantia, et casto Dei timore singularem esse, nemo ullus Angelopoli nesciebat: et huic incubuit, ex optimorum Parentum consensu, nepotum educatio; quos inter eminebat Josephus tum mira indolis facilitate, tum quasi ingenita propensione ad virtutem. Litteris instituendus, ad Jesuitarum alum-

alumnos cooptatus, pueritiam exegit ferme ad prodigium gravem, et maturo sene, quam elementario digniorem. Duos audivimus primi nominis inter Socios Mexicanos, qui cum Josephum id aetatis novissent aequales, unanimi ad nos voce testati sunt: Alumnos omnes eo jam tempore senilem ejus gravitatem, et modestiam demiratos esse. Philosophiae studuit sub Joanne Villavicencio, suavissimo Magistro, a quo non tam didicit humanam scientiam, quam illum perpetui tenoris vultum, atque Angelicos mores, quos alibi descripsimus. Condiscipulum Antonium Corrum, quem laudavimus pariter, innocentis vitae instituto perfecte assecutus est; ut certare viderentur quodammodo, quis plures ab ea schola virtutes hauriret, quibus deinde bono publico, in Societate collocati, splendescerent. Josephus Berrius, nobilis Mexicanus, qui Divi Ignatii Seminario tunc praeerat, proximum suo cubiculo voluit Melendezium, quem propter innocentiam potissimum custodiebat, et cujus ingenuitate, ac mansuetudine, praecipuis in puero, mire delectabatur; quas quidem dotes magis, magisque ad maturi judicii mensuram increscentes, usque ad interitum Josephus excoluit. Ter in hebdomade sua errata expiabat in poenitentiae tribunali, et cibo Eucharistico se totidem reficiebat. Pro deponendis conscientiae arcanis, elegit sibi Josephum Bellidum, eximia prudentia Magistrum in dirigendis animis: qui profecto Bellidus conspicaturus mox erat adolescentis fortitudinem in peri-

ricu-

riculoso certamine, quo decreverat patientiam ejus experiri supremus rerum arbiter Deus.

Etenim, exacta Philosophia, cum ex consensu Parentum ad Societates tirones Tepotzotlani adlegeretur, magna sui animi voluptate invenit ibi Bellidum, qui hos Magister ad virtutes informabat. Et sub initio quidem nihil juveni dulcius ea vitae ratione, jucundoque ab humanis omnibus recessu, tot inter purissimae vitae adolescentulos, quibus unus erat scopus, obtinere familiaritatem cum Numine. Hoc amare, cum hoc uno devinciri necessitudine, quaesierat Josephus domi puerulus, quaesierat alumnus in Seminarii strepitu; id ipsum in ea suavi solitudine impetrare facili negotio credebat. Sed nimirum nunquam non ardua, et salebrosa virtutum semita, ut per illam adrepentibus merendo praemio sit locus! Coorti repente fluctus interni, pacem tironis turbaverunt; et quidquid ageret, quidquid diceret, ancipiti agitabatur conscientia, num Deum offenderet? num aliter faciens, operaretur perfectius? atque in his tota die miserabiliter cruciabatur. Nec satis fuere vel indolis facilitas, vel demissa reverentia, qua Moderatoris audiebat consilia; ut a permolestis angoribus, et solicitudinum aestibus aliquando tandem liberaretur. Subiit tandem ejus animum cogitatio, Deum orandi enixis precibus: ut, quandoquidem sibi immittere cruciatus constituisset, vellet saltem illos conscientiae tumultus cum morbis corporis commutare. Ne tamen et remedii auctor esset, et

idem

idem sanandus; Divini oraculi interpretem adhibere statuit Bellidum. Hic, re audita, non quidem negavit plane, sed qua erat prudentia, nihil cunctatus ait: *Vide, quid feceris: ne, tempore procedente, fortasse te poeniteat*. Tiro nihilominus, qui maximopere expavescebat ad criminis vel umbram, oravit ferventissimus, atque omnino inauditus est: nam ex eo tempore ut illi perpetua illuxit conscientiae serenitas, qua functus est usque ad postrema vitae suspiria; ita et supervenit, quin fere diem intermitteret, adversa valetudo. Nihil tamen haec obfuit, quominus post tirocinii biennium diligenti sedulitate litterarum curriculo intenderet. Non ille quidem excelso, sed idoneo tamen ingenio usus est; quod accurata politum exercitatione, laudibus probatum fuit a Magistris, quoties in annua venit pro toto litterario cursu consueta pericula; potuissetque, nisi per valetudinem stetisset, ad quodcunque provehi docendi munus ex Societatis Instituto. Pro grammatica constructione Mexicanis tradenda pueris, Theologiae cursum abrumpere jussus est: in quo sane officio exercendo, nihil illo suavius, nihil affabilius, nihil ad puerorum aetatem accommodatius. Intellexi ab Socio quodam, tunc ejus auditore, qualem Matris in filios, talem penitus fuisse Melendezii amorem in discipulos; quos neque poenis, nisi gravissima de causa, et perquam raro, afflictabat; nec severo vultu terrebat. Id profecto pluries, de aliis loquentes, memoravimus: enim vero cum tot praeclari virtuti-

tutibus homines in hac eadem educandi ratione convenerint; iniquum existimamus, ea silentio praetermittere, quae faciunt hominis a nobis descripti veriorem imaginem. Atque insuper gaudemus, id ipsum saepius venire nobis in calamum; cum omnino persuasum habeamus, atque in omnium animis insculpi velimus, optimam puerorum institutionem suavitate maxime obtineri. Hacce Josephus consecutus est tum erudire discipulos; tum ab ipsis reverenter coli; tum praesertim virtutem, cujus utique praeibat exemplo, amabilem demonstrare.

Ad Sacerdotes additus post Theologiae triennium, illico procurationi alienae salutis in poenitentiae Tribunali, quantum per valetudinem poterat, mirabili alacritate coepit intendere. Plura certe sunt testimonia, quam fuerit egregiis insignitus dotibus pro tanti momenti ministerio. Patiens erat in audiendo, prudentissimus in cohortando, sagax in discernendo, efficax in odio criminis excitando, suavis admodum in medicinis idoneis adhibendis. Ad haec, loquebatur familiariter, tanquam amicus cum amico, nullum praebens admirationis indicium ad aperta conscientiae vulnera; unum tranquille cogitans, et benignis agens verbis cum ipso, cujus audierat crimina, de praestando plagis remedio: ut accederet ad illum nemo, quin praestantem, atque industriam ejusdem charitatem extolleret. Huic Ministerio, et Divinis ad populum dicendis, per annos aliquot navarat operam; cum philosophiae Magister in Anticariensi

Colle-

Collegio renuntiatur. Arduum sane munus pro valetudine, qua in dies utebatur infirmiori! Cum tamen omnia se posse crederet, quae facere juberetur; nihil dubitavit ad obtemperandum se accingere; atque eadem illa sedulitate philosophiae Magisterium adivit, qua vacaverat hactenus et studiorum curriculo, et saluti animorum in Societatis ministeriis. Verum sensim increscente stomachi morbo, plane non poterat illam praestare auditoribus assiduitatem, quam munus exigeret: cumque alias de Magistri vita timeretur, si operoso labori insisteret in ea prostrata valetudine; ante annum censuit Moderator annuere se debere Josepho postulanti, ut removeretur ab officio. Neque vero morbum causans, quaerebat otio torpescere: nam continuo imperatus Angelopolim remeare pro Divi Ildephonsi Ministerio adimplendo, nihil distulit obedire. Atque hic enituere in primis Melendezii charitas, et prudentia, quibus maxime ornari hominem opus erat, qui ad munus illud destinabatur. Socios juvenes a tirocinio venientes, qui philosophiam ibi partim repeterent, partim ab elementis edocerentur, perhumaniter excipiebat: ac primo statim congressu ea de se praebebat illis indicia, ut plane internoscerent, agendum sibi esse cum Ministro, qui et suavis esset indolis, et sui muneris dignitatem tueri calleret. Quidquid honestae voluptatis, quocunque nomine posset illis permittere, nulli parcebat diligentiae, donec volentibus pararetur. Crebro Rectorem aut ipse per

se ora-

se orabat, aut ex Sociis quemdam mittebat oratum, ut ab schola pomeridiana maturius cessare liceret, ac rus, animi gratia, contendere universos. Ut erat in patria, et toti propemodum notus civitati, complura illi vel a cognatis, vel ab amicis dono mittebantur; quae vix suae fecerat potestatis, cuncta Sociis juvenibus distribuebat. Familiari utebatur cum omnibus consuetudine, quasi sui essent aequales; nec alio magis devinciebatur ejus animus, quam siquis ipsius cubiculum frequentaret ingenua libertate, atque honesta quaevis vellet exposcere, nulla servili formidine postularet. Convenit illum quidam juvenis, plane affirmans; habere se arcana quaedam, quae cum cognato colloqueretur: nolle se id agere in loco destinato, qui ferme publicus erat; non posse in suomet cubiculo, quandoquidem vetitum esset externos inferri; neque vero si hoc posset, velle se negotium gerere, teste contubernali: propterea designaret locum Minister, ubi tuto liceret sermones protrahere. Ad haec Josephus mansueto vultu: *Ecce*, inquit, *meum cubiculum; cognatum huc defer; ego confestim pedem efferam*. Quod sane fecit libentius, quam promiserat. Nihil opus erat occasionem captare ad illum conveniendum: qualibet enim diei, atque etiam noctis hora patebant ejus cubiculi fores; et ipse fronte semper aequabili, atque humanissimis verbis, venientes excipiebat. Pro consolandis afflictis ad se accedentibus, mire valebat dicendo; taliaque ac tam dulci sermone proferebat,

ut ne-

ut neminem non animo serenum a suo conspectu dimitteret. Anxius invigilabat, ut aegra valetudine se habentes, nullo carerent, quod ad sanitatem recuperandam aliquo pacto conduceret: pluries ipsos interdiu conveniebat, recreabat amoenis colloquiis, cohortabatur ad patientiam, assidebat prandentibus, ipse interdum tum cibos, tum medicamenta ministrare gaudebat, nec ibat noctu cubitum, quin repetiisset interrogatum, num quid novi esset? num aliquo egeret infirmus, quod ipse posset officium praestare? Consilium flagitantibus praesto semper erat; nec omisit unquam id suadere, quod, rem serio cogitans, rectae consentaneum rationi arbitraretur. Et sane habuit singularem perspicaciam, sagacemque admodum prudentiam, ad optimum discernendum. Ultro etiam cum singulis immiscebat sermones de iis, quae successu temporum possent ipsis contingere in Societatis officiis exercendis; faciebatque omnibus consilii sui copiam, amice, ac sapienter praemonens de opportunis adjumentis ad quodlibet vitae genus prudenter instituendum, cauteque vitanda pericula, quibus vel ab hominum consuetudine, vel a muneris cujusque natura, vel a misera mortalitate circumdamur. Verbo dicam: is erat Melendezius in praestando consilio Sociis juvenibus, ut qui plura ejus effata memoriae mandaret, ipsiusque prudentia fieri studeret doctior; tuto jam posset in palaestram prodire, quodcunque illi obtingeret Societatis Ministerium.

No-

Novem circiter annos in eo munere fuerat, eximiae sedulitatis laborem superaddens perpetuo illi, et quasi cum homine consenescenti stomachi morbo; cum, vita functo Socio, qui Patzquarensi Collegio praeerat, Josephus, qui succederet, designatur. Patzquarus urbs hodie sita est, ubi Regum Michoàcanensium amoenum fuit suburbanum Zinzonzae nomine, quae Regia erat ad lacum posita, ut historia narrat, et monumenta confirmant, quae nunc etiam supersunt. Secundum obtinet nomen in regno quondam florentissimo, quod postremus gubernavit, et cujus imperium cum vita deposuit infelix Calzonzinius. Hocce regnum attingit Mexicanos ad orientem solem; ad hujus occasum, et septemtriones Novam Galleciam respicit; continetur ad Meridiem Mari Pacifico. Mirae fertilitatis est; ut ad loca nonnulla duplex in anno frumenti messis colligatur. Abundat ut lacubus, ac rivis, unde piscium copia, et saluberrima balnea; ita et pomis etiam, exquisitis avibus, atque universis delitiis, quae te afficiunt, ac recreant, quocunque verteris oculos. Primus Michoacanensium Pontifex, Vascus Quiroga, pro civili cultu, et moribus informavit indigenas pari, ut minimum, diligentia, et successu, ac suos Moschos Petrus ille, Caesar in Septemtrionibus, jure subinde donatus Magni nomine. Vascus ab Rege primum Senator in Mexicanis, ad Michoacanenses inde promotus merito Pontifex, vir erat omnino singularis, atque ex illis ingentibus ani-

ma-

mabus, quas, nisi raro, natura non parturit. Nihil in illo non mirabile: praegrandi, et gigantea propemodum statura eminebat; affabilitas, et majestas certare videbantur, utra utram in hominis vultu antecelleret, amorem illa, haec reverentiam ipsi conciliatura; corporis constitutione gaudebat robustissima, et vigore plena; aetatis numeravit annos pene ad centesimum, immunis tamen a senectutis incommodis: nam quinque supra nonaginta natus annos vegeta erat valetudine, vastissimamque dioecesim pro munere perlustrabat. Hic Vascus ante Lojolae interitum iter excogitabat in Hispanam regiam, Jesuitas pro sua vinea flagitaturus; quod iter cum per se non posset exequi, Negronium immisit, ex Sacerdotibus Canonicis Ecclesiae ab se constitutae, virum impigrum, et maturae prudentiae. Nec cessavit unquam optimus Pontifex ab re procuranda, quanquam tum spes in irritum cecidisset; quin imo, jamjam ab exilio mortalitatis evocandus, praesagivit indigenis, venturos Patzquarum Jesuitas, pro quibus annuos proventus testamento reliquit. Et sane vidit eo loci Nova Hispania primum Sociorum Collegium reditibus constitutum. Et quanti fecerint Patzquarenses ab illis exordiis Mexicanam Societatem, manifeste inter alia demonstrarunt, cum noctu, Sociis dormientibus, ardere illorum templum externi animadverterunt. Ex omni civitate indigenae turmatim convolant, alii in sacras aedes irrumpunt, alii ipsarum tecta conscendunt, alii vero sibi opus as-

sumunt, Socios e Collegio extrahendi, quasi alia causa exsuscitatos; ne malo inopinato trepidarent. Custodes apponunt in omnibus Collegii foribus; ad nutum Praefecti indigenarum mirabili ordine adlaborant, festinant, supellectilem flammis eripiunt, ignem prohibent, ne saeviat in propinqua cubicula, omnes tanquam pro aris, et focis, de Sociorum incolumitate soliciti sunt, aquam ingerunt, incendium denique restinguunt. Neque vero passi sunt, domum redire Socios, donec invenirent cubicula, qualia reliquerant: omnia enim, quae loco moverant a finitimae flammae timore, mira efficacia reconcinnarunt; quin Sociorum ullus vel papyraceam imaginem amisisset. Quidquid in Templo ignis corruperat, cumulatissime restitutum est Patzquarensium beneficentia. Horum studium in Socios novo vinculo per eosdem fuit dies confirmatum: nam Petrus Calzontzinius, nobilissimus Tarascus, et magno in amore illis gentibus, quarum postremi Regis nepos erat, in Socios adscribi postulavit: quo non concesso, bonorum, et privilegiorum causa, quibus Reges Hispani familiam ejus cumulaverant, et quae retinere non posset, si religiosis votis obstringeretur; in Sociorum Collegio vivere saltem obtinuit, ibique intendit in domestica ministeria, quae viliora sunt; atque in hoc vitae genere ad interitum perseverans, magnum pietatis, et religionis nomen posteritati reliquit. Exstabat adhuc in ea Sociorum domo ejus imago anno 1767. Data sit haec memoria grato

ani-

animo erga insignem Pontificem, urbem, et regnum, quibus obstrinxere Socios Mexicanos innumera beneficia. Hoc igitur gubernandum Collegium suscepit Melendezius anno saeculi praesentis quinto, et sexagesimo: quo quidem in munere talem se gessit prudentia, et charitate, qualis fuerat Angelopoli Minister. In id enitebatur maxime, ne subditos poeniteret fiduciae, quam in ipso reponerent. Nunquam se caeteris aut ipse anteferebat, aut anteferri ab aliis patiebatur; nisi cum in consessu publico primum obtinere locum ratione muneris cogeretur. Porro in familiari consuetudine, in amoenis ad domesticos colloquiis, in Societatis ministeriis apud externos exercendis, nihil ab infimo Socio Josephum Moderatorem discerneres. Ita quidem, quam in Collegio tranquillam pacem, jucundissimamque Sociorum vitam invenit, neque minimum turbavit persuavis ejus gubernatio. Vir nimirum, quem individua comes consequebatur ubilibet eximia hominum charitas; qui praecelsis ad imperandum dotibus natus erat; qui strenue operabatur ad Ignatii mentem, atque instituta, probe quidem intelligebat, quaenam vetanda essent, quaenam permittenda; quo tempore corrigere deberet errata, quo etiam posset in iisdem connivere. Jam inde, ut demonstravimus, ab excitato in illa urbe Collegio, Socii fuere charissimi Patzquarensibus; utpote qui amorem hunc, ante Societatem Mexici stabilitam, haereditate acceperant ab Antistite Quiroga. Profecto amoris,

 et re-

et reverentiae indicium erat, quod tota civitas a Sociorum ore penderet; nec in ea quicquam aut decerneretur, non consultis illis; aut, ipsis absentibus, ageretur. Et Socii vicissim toto virium conatu insudabant in excolendis incolis consilio, atque doctrina. Josephus cum maxime id conducere tum ad Numinis gloriam, tum ad animorum emolumentum, tum etiam ad Societatis honorem existimaret; fovit, qua potuit industria, perveterem illam, et quasi avitam voluntatum concordiam. Caetera, quanquam honores ipse fugeret, ac per summam modestiam se flocci faciendum judicaret; suis tamen praeclaris dotibus a domesticis, atque ab externis benevolentiam, et plausum sui nominis excitavit.

Haec ad biennium duntaxat, cum indictam legem de Jesuitarum exilio ab Hispanis finibus inaudiit Patzquarus. Inaudiit, inquam: nec enim in illa urbe, ut fere ubivis, legitima vox Regia inopinantes homines perculit. Ratio autem fuit ejusmodi: Exarserant inibi per eos dies nescio quae super vectigalium solutione jurgia illos inter indigenas, quos *Indos* vulgari nomine appellant, et Praefectum Regium Vallisoleti commorantem ad pauca ab illis milliaria. Propterea cum, turbatis rebus, committere se indigenis non auderet, qui pro lege nuntianda Patzquarum missus fuerat ab Regio Mexici Legato; Socii ad Patzquarenses constitere quindecim ferme dies post legem Vallisoleti promulgatam, Patzquarique privatis vocibus intellectam. Jose-

sephus interea nihil immutandum censuit in religiosis laboribus, et publica procuratione salutis animorum. Neque solum pro purgandis poenitentia conscientiis vocabatur in Templum; verum et solatii gratia domos convenire certatim rogabatur; atque ad ingredientis conspectum omnes erumpebant in lacrimas. Ille, ut erat animo ad subita quaevis tranquillus, praecipua in exhilarandis afflictis facilitate; omnino promptus erat, ut lachrimas tergeret, ut improbo dolori voluntatem demissam substitui curaret, atque inprimis ut Regio imperio venerationem debitam propalam in omnium memoriam revocaret. Non defuturos, ajebat, Evangelicos Operarios, et sedulos Magistros, qui pueros erudirent, qui confitentibus darent aures, qui Verbum Dei annuntiarent. Indigenam quemdam ex prisco Tarascorum Procerum sanguine, genibus innixus oravit suppliciter, ut, quandoquidem primae inter suos esset auctoritatis, illos omni ope cohortaretur, nequid omnino moverent, neu, vel in minimo, ab Regia voluntate desciscerent. Tandem post dies aliquot urbem ingredi potuit Nuntius, nihil civibus cognitus; et legem Sociis clanculum denuntiare. Confestim ad obediendum se accingunt; et Josephus, communicatis cum ipso Nuntio consiliis, provide stabilivit, ut noctu per vias parum tritas iter institueretur. Fuit externus quidam, qui Josepho persuadere impense conatus est, ut, quas quisque Socius pecunias haberet, (quoniam id ab Rege non vetabatur) secum omnes

deferrent, subsidio futuras aliquando in exilii penuria. Josephus autem miro exemplo temperantiae: *Quid nobis*, inquit, *opus est*, *hujusmodi onerari bonis fluxis*, *et caducis? Qui pascit volatilia*, *qui lilia vestit agri*, *neutiquam patietur*, *nos fame interire*. Utique in pauperrima supellectili, atque omnino sine nummis, quotquot erant Socii, digressi Patzquaro sunt. Post paucos dies, quos in proventuum Collegii rationibus Regio Ministro reddendis insumpsit, Socios Josephus consecutus est; ac terrestri milliariorum ultra quatuorcentum itinere cum Veramcrucem attigisset, mari tandem se commisit. Nec certe mediocriter timebat a vacillante tot jam annos valetudine, in mortem obviam per discrimina maris incurrere; nihili vero vitam aestimabat prae obedientia legitimo imperio praestanda. In illa diuturna, et permolesta navigatione, quantumvis aestu, et jactationibus non parum vexaretur; haud omisit, qua potuit, ad gentem nauticam Divinos instituere sermones; de criminibus poenitentia expiandis agere; peccati turpitudinem, atque inprimis exsecrationis in Numen, fervidissimis verbis describere. Quae omnia cum, arrepta prudenter occasione, faceret, nec inter colloquia ejusmodi ab animi lenitate discederet, nunquam apud illos fastidium sui generavit. Quin imo tanta comitate, ac virtutum praestantia virum colebant, amabant, et nullo non prosequi officio certatim omnes procurabant. Supra caeteros vero navis Magister, urbano, et lepido vir in-

ge-

genio, Melendezium incredibiliter diligebat, quem sibi semper assidere, ac tota ferme die habere volebat individuum; ut etiam nautica interdum licentia nolentem ipsum amplectebatur, brachiis levabat, et *sui Divi Antonii* nomine festivus appellabat. Nimirum in ejus placido vultu virtus apparebat affabili quadam urbanitate, quam, quin colerent, atque amarent Josephum, homines intueri non poterant.

Post varios immensae peregrinationis casus, ad Pontificiam demum transductus ditionem, in Castrum Divi Petri mittitur, et Sociorum juvenum domui gubernandae praeficitur. Nullus quidem illo aptior, qui juvenibus praeiret calamitoso illo tempore, cum recens in Italia collocati, tot, tantisque tum corporis incommodis, tum animi periculis obnoxii agitabantur. Nec ii solummodo, qui sub ejus erant potestate, sed quidquid erat Mexicanae pubis (cum tota propemodum in illo pago diversaretur) Josephum conveniebat; atque hic solatium in afflictionibus, ille consilium in dubiis exquirebat. Josephus vero nunquam aut morbum, aut occupationes praetexere, nulli negare aditum, nullum non blandis verbis, et jucundo vultu solebat excipere: id enim praecipue mirandum in homine, quod tam molesti, atque acerbi morbi diuturnitas nihil unquam de oris hilaritate detraxerit. Translatis dein juvenibus in domum Bononiae propinquam, in amoeno colle positam, qui prominet in urbem, et Belpoggium vulgo appellatur; post menses aliquot in

eandem urbem evocatur, atque alteri Sociorum domui Moderator praeponitur Melendezius; neque multo post tempore, Nosocomii gubernatio, quod pro Sociis Mexicanis institutum fuerat, ipsi demandatur. Et hic omnino locus erat, ubi delitias collocarat suas homo ille ad charitatis natus officia: erat enim domus illa, misericordiae officina, in quam deportabantur Mexicani exules, ut quisque in diuturnum morbum incideret. Ac sane jucundum erat illam domum ingredi, unde suavissimus manabat pietatis odor: fervebat opus; charitas administros urgebat; nonnulli erant Mexicani Sacerdotes, qui pro laborioso ministerio aegrotis inserviendi, sponte se se obtulerant, ac dicaverant; alii, quanquam eam domum non incolerent, parato erant, et libentissimo semper animo, quoties operam suam Nosocomio praestare rogabantur; alii confluebant frequentes, qui viribus prostratos recrearent, qui salutaribus verbis afflictos erigerent, qui postrema moribundis officia praeberent. Fuit etiam Sacerdos juvenis, illustri nomine in Mexicanis, qui, cum singulis annis non levem pecuniae summam ab opulento haberet Patre; parvo contentus in quotidianae suae vitae religiosos usus, pro civium infirmorum domo caetera destinarat. Egregia profecto ingenuae, ac limpidissimae charitatis documenta! In his adlaborabat lubenti animo Josephus, cujus auctoritate, prudentia, et fervido vigore, tota illa charitatis fabrica, quasi anima corpus, agitabatur; cum repente inso-

nuit

huit vox Pontificia de Jesuitarum eversione. Nullus certe dubito, vehementer illum doluisse ad intellectum Societatis excidium; cum plurites testis fuerim in colloquiis familiaribus, quantus illam amaverat. Huic tamen amori nihil distulit anteferre debitam, atque ex animo sincerissimam obedientiam auctoritati Romani Pontificis. Post eversam Ignatianam familiam, ad ipsos octo annos vitam protraxit, corporis quidem languore difficilem admodum; at totam, ut mox demonstrabimus, charitatis operibus intentam. Anno undeoctogesimo, appetente vere, Romam instituit contendere; cum alieno impulsus consilio, si forte itineris lassitudine, ac coeli mutatione, in meliorem spem inclinaret adversa valetudo; tum praesertim ut pietatis ejus fervor apud ea sacra monumenta inflammaretur. Hoc sane postremum consecutus est, qua erat indole ad pietatem pronus, et facile ad Divinum amorem, et coelestium cultum excitabatur; valetudo autem sensim in pejus ruebat; et praeter inveteratum stomachi morbum, extrema virium debilitate, ac tussi nimium pertinaci afflictari jam coepit. Et quidem memini, per eos dies apud me in familiari sermone non semel illum praesagiisse, profecturum se post paucum temporis ab hac mortalitate. Dolebam acriter, hominem a nobis abire nondum aetate confectum, quem charitate praecipuum, et prudentia singularem, ingenti desiderio prosequi deberemus. Ut tamen erat prostratis viribus, et rem firmissime asse-

ve-

verabat; nihil sane dubitavi de propinquo ejus ad beatam aeternitatem itinere. Octobri mense decidente, Roma Bononiam remeavit, ubi nulla jam data est a morbo requies: fere ad biennium acerbissima tussis insaeviit, accessit ad menses aliquot lenta febris; increvit virium debilitas, quam pallor, et macies consequebantur; ad postrema tandem Ecclesiae remedia ventum est. Instante jam morte, oravit Sacerdotem lecto proximum, ut impotentem se movere, supra latus alterum verteret: quod cum ille negaret sine gravissimo periculo fieri posse; christiana demissione, junctis ad pectus manibus, oculisque ac toto vultu in affabilis patientiae signum composito, nullum ultra protulit verbum. Mortem objit somno perquamsimilem quinto decimo Kalendas Septembres, anno saeculi decimi octavi primo supra octogesimum, aetatis quinquagesimo quinto. Ad Divi Laurentii Bononiensem paroeciam elatus est, Sociorum omnium moestitia, et lacrymis funebrem pompam decorantibus.

Erat Melendezius ad altissimas natus virtutes; quarum omnium fundamentum a tenero novit jaciendum in amando Numine. Hoc intueri semper mentis oculis; hoc ferventibus precibus, quidquid ageret, adorare; ad hoc referre suos omnes gressus, opera, verba, cogitationes, tota vitae serie de more habuit. Atque hinc illa vultus tranquilla gravitas in commercio cum hominibus; hinc etiam mirabilis illa suarum omnium actionum, et verbo-

rum compositio: ut Sacerdos probatae fidei; qui et puerum, et tironem, et Theologiae studentem, et Ministrum, et Rectorem, et exulem, familiari consuetudine novit Josephum, haec ad me nulla haesitatione asseruerit: *Nunquam certe sive ab illo verbum audivi, sive ipsius actionem conspexi, quae pietatis odorem non emitteret: propterea maxima semper veneratione hominem colui, quem habui toto pene vitae ejus tempore familiarem, atque ad plures annos contubernalem.* Qui nunquam cessabat a Dei obsequio, et cogitatione; totus expavescebat, ubi species vel levissima criminis appareret. Nocte quadam cum per angiportum casu transiret, ab impudenti foemina sensit se clanculum compellari; quod unum satis fuit, ut nunquam postea, quanquam se illi comitem Socius alter polliceretur, inferre pedem post Solis occasum in angiportus auderet. Ad hoc in aliis excitandum criminis odium, videbatur peculiari quodam dono divinitus insignitus, vel casu incideret sermo, vel industria interdum ab ipso quaereretur occasio, vel ex professo verba faceret cum accedentibus ad poenitentiae tribunal. Quotidianam sacrae commentationis horam ex Societatis constituto nunquam omittebat; ac toto invigilabat conatu, ne in hoc delinquerent, qui suo regimini commissi erant. Rem sacram quotidie faciens, totus erat in eo attente cogitando, quod opus Divinum ageret; atque ut dape coelesti se cibaverat, solito longiusculus erat in officiis, et amoribus exhibendis Numini

apud

apud se diversanti; a quibus amoribus aegre videbatur avelli ad Missae reliquum perficiendum. Pluries interdiu, noctuque Numen Eucharisticum visitabat, a quo solatium in calamitosis rebus, temperantiam in prosperis, consilium in dubiis, modestam serenitatem in perturbatis efflagitabat: quae nimirum omnia, nihil dubitabat, se se in illo gratiarum fonte reperturum; ut, semper antea reperisse, satis experimento cognoverat. Nec omnino contemnendam suspicionem existimo, quod in eo coelesti commercio futura multa praesenserit: et quae plura videbatur acutae mentis vi, et provida sagacitate odorari; nihil certe mirum est, injecto divinitus lumine praenovisse. Porro cum ad simulacrum Jesu e cruce pendentis oraret olim pro Socii cujusdam emendatione; vocem repente audire sibi visus est, ex qua nihil haesitans intellexit futurum quemdam eventum; quem sane post annos aliquot suis ipse conspexit oculis. Id novimus a probo Sacerdote, cui rem totam in arcano colloquio Josephus aperuit.

Qui sincere Dei amorem exquirere, atque ipsum sibi singularum actionum normam proponere, tota suae vitae serie testatum reliquit; amavit etiam homines, et quidem perfectissima charitate, propter ipsum Deum. Nec sane dubium est argumentum, Deum illi fuisse in causa, ut tantopere amaret homines; quod suae charitatis non particeps omnino esset nemo, cujus necessitatem audiisset: nec enim pro ju-

van-

vandis hominibus, quocunque pacto valeret, ullo ipsos habebat discrimine. Cujuslibet essent ordinis, aut aetatis, aut conditionis, qui consilio ejus uti vellent; sane licebat, quin temporis expectaretur opportunitas. Plus certe de bono aliorum nomine, quam de suomet solicitus erat; nec ullum crederes errasse unquam, si loquentem de illo Josephum audires. Laudabat sine invidia, cum alium quovis nomine videret excellere; sive superiori esset ille, sive inferiori, sive pari aetate. Assiduis instanter precibus hortabatur juvenes, ut litteris imbuerentur, etiam illis, quas ipse non didicerat: nihil turpe putans, de ingenio, ac scientiarum laude cedere minoribus. Quidquid haberet bonorum, non tam suum, quam communis omnium videbatur potestatis: illi enim donabat, qui primus erat indigentia. Id equidem libenter assero, quod vidi quamsaepissime; atque hoc fidentius, quod possum tot provocare testes, quot paulo familiarius Melendezium noverunt. In exilio praesertim is fuit Josephus cum Sociis Mexicanis Bononiae dispersis, qualis olim Tobias cum suis civibus translatis in Niniven. Profecto quoties relatam in sacro Codice hujus hominis charitatem memini, legere mihi videor imaginem Josephi mirabili quadam similitudine descriptam. Ibat quotidie novus hic Tobias per indigentium Sociorum domos; consolabatur afflictos; recreabat infirmos; dividebat unicuique, prout poterat, de facultatibus suis; panem suum cum esurientibus, et

ege-

egenis comedebat; nudos de suis vestimentis operiebat. Nec eo contentus erat, si opitularetur duntaxat illis, qui suam ultro necessitatem aperiebant; verum et centum piis artibus utebatur ad investigandam aliorum indigentiam, qui vel ob innatum pudorem, vel ob christianae tolerantiae religionem, carere necessariis malebant in obscuro silentio, quam ab alio subsidium efflagitare. Quod si forte non haberet in suis, quo misericordiam exerceret; nihil ipsum pudebat, ostiatim, ut ita dicam, corrogare stipem, et Socios, quibus uberiores erant proventus, infimis orare precibus, ut misero cuipiam subvenirent. Erant quidam, ut opinamur varie mortales, in ipsa charitate paulo difficiliores; qui negabant, iis esse succurrendum, qui causam inopiae dederant: apud hos Josephus multis probabat efficaciter, charitatem cum egenis exercendam esse, quacunque tandem causa in egestatem devenissent; si modo vere pauperes essent, nec ultra possent in sudore vultus comparare sibi alimentum. Atque ut praeiret exemplo, secum domi habuit, et nunquam non juvit Mexicanum quemdam, Socium olim Adjutorem, qui claro natus genere, uxorem Bononiae duxerat, et fere in mendicitatem inde venerat. Fuerat quidam alius, qui sanguinis claritudine inter primos, atque opulenter educatus, nescierat in exilio rem servare suam, et insuper aere alieno se obstrinxerat. Nihil non movit Josephus, donec tandem adeptus est, ut honesta mediocritate pos-

set

set ille vivere, collatis hinc, atque hinc pro quotidiano ipsius victu pecuniis: quas quidem charitate juxta, atque providentia eximius homo egenti ad diem suppeditabat; ne videlicet occasio illi daretur ad ingenium redeundi. Acri apud alium constantia locutus est, qui in distribuenda certa pecuniae summa, plus homines ipsos, quam hominum indigentiam respicere videbatur. *Quid enim*, ajebat Melendezius, *peccaverunt illi miseri, quoniam ex iis non sunt, quos ad tibi charos adscripseris?* Haec tamen magnanima libertas distribuentem non offendit; cum Josephus, charus omnibus, probe intelligeret rationem asperis dulcia miscendi; et praesertim in charitatis officiis, maximae haberetur auctoritatis. Quisquis inopia laboraret, nihil verebatur ad ejus charitatem, quasi ad communem mensam accedere; a qua certe nemo ullus erat, qui sine optato rediret auxilio, blandis etiam verbis, et salutaribus monitis beneficio superadditis: nam qui ob animi bonum subveniebat corporibus, occasionem inde libenter arripiebat, ut sermones de iis insereret, quae singulis opportuniora existimabat. Ad omnes erat affabili vultu, et urbanis verbis: juvenes autem Socios ut magis, ac magis ad suam familiaritatem alliceret; unumquemlibet ipsorum alloquens, de more sibi perantiquo, Angeli cognomine appellabat. Praecipue tamen enitebat in aegrotis omni ope adjuvandis: in quo quidem ministerio certare videbantur hominis egregia charitas, et actuosa humanitas;

quas

quas ille virtutes mirum in modum adhibebat ad fovendos languidos, recreandos afflictos, erigendos morti proximos, vita functos iteratis precibus Numini commendandos. Instar solicitae Matris in aegritudine filii, nihil omittebat, ut exquisiti, et pro facultate delicati cibi languentibus pararentur. Cum Pontificio Decreto soluta fuere Societatis vincula, plures erant Mexicani Socii, qui vel senecta, vel infirmitatibus, curam sui habere omnino non poterant. Horum non modico numero se se sponte Josephus oneravit; quos inter bini erant octogenarii propemodum, qui vitio aetatis fere despuerant; tertius morbo, quem vocant apoplexin, correptus olim fuerat, ex eoque tempore, torpore quodam captus, miserandum in modum languescebat; quartus ante plures annos oculorum lumine prorsus carebat, proindeque nihil potens vel ad sui corporis cultum, totum se se commiserat alieno ministerio. Hanc miserorum familiam secum portabat, ubicunque diversaretur, misericors Melendezius; quibus officia Parentis praestare non destitit, donec omnes Deus ab exilio ad aeternam sedem evocavit.

Naturales animi affectus ita rationis imperio subjecerat, ut ad subita quaelibet plane sui potens inveniretur. Mexici cum grammaticam pueris externis traderet, discipulum quemdam errantem suavis, ut solebat, correxit; qui tamen delicatulus, et fraeni impatiens, domi apud Patrem conquestus est. Ad auditam a filio que-

rimo-

rimoniam impotenter excandescit Pater, volat furioso similis in Jesuitarum Collegium, Josephum reperit tunc e suggestu docentem, ad ludi fores consistit, in insontem Magistrum longus evomit injurias, atque immensum indignatus blaterat, quidquid solet ira improba: eaque omnia tanto strepitu, et vocis contentione, ut frequentes accurrerint e ludis propinquis, rei novitate attoniti; donec tandem inventus est, qui furibundum hominem, nunquam a contumeliis cessantem, vi compulsum e loco detruserit. Josephus, vix tonare coeperat, tranquillus assurrexerat, modestisque audierat oculis, nihil unquam os aperiens, quasi acroama sibi diceretur; et sedata tempestate, plane institit litterario sermoni, quem illa interruperat. Nec id efficere duntaxat potuit demissa Magistri juvenis patientia; verum etiam intendisset postmodum totis viribus, (nisi aliter judicasset Collegii Moderator) ut puer ille, cujus gratia tot inaudierat convicia, in ludum rediret nulla non deliniendus comitate. Magni fuit apud externos adolescentes, qui non exiguo erant numero in grammaticis litteris addiscendis, mirabilis haec, et plusquam spartana tolerantia religiosi Magistri, fervidi tunc aetate, immerito lacessiti, et eo loco nati, atque educati, ut natus erat, atque educatus Josephus. Hanc eandem animi serenitatem per varia suae vitae munera, per ingentia tot itinerum incommoda, et pericula, semper demonstravit. Christianae demissioni sincero animo intentus, videbatur ne-

scire gloriae cupidinem: propterea que cum nihili semet a puero aestimasset, aegerrime ferebat, quod evectus fuisset ad gubernationis honores, et munera. Consilium solebat exquirere ab Socio, cui longe inferior erat tum aetas, tum ingenium. Quadam die cum ipsum convenisset, in haec mirabilis demissionis verba locutus est: *Equidem te pluries, Angele, in anteactis temporibus juvi consilio; nunc enimvero, quoniam angor animo nimium quantum ob sermones, in quos heri incidimus, abs te peto vicissim, et tuae penitus acquiescam sententiae.* Nec alio collineaverant ejusmodi sermones, nisi in ejusdem emolumentum, cujus auctoritati obsequium pollicebatur. Obstupuit magnopere Socius ut ad submissionem exposcentis consilium, ita etiam ad vultus hilaritatem, quam confestim induit, atque ad gratiarum actiones, quas retulit pro datis utcunque verbis. Nihil pudebat hominem, siquid in colloquio diceret, quod minus decere religiosam linguam, postea crederet; ab iis, qui se loquentem audierant, quasi de gravi crimine veniam orare. De instituto pridie sermone oravit enixe a Socio quodam, qui postmodum affirmabat: nisi lepida quaedam a purissimis moribus minime abhorrentia, nihil certe se intellexisse, quod aures vel gravissimi Aristarchi posset offendere. Occasionem sui morbi praetexebat ad affligendum se se crudelissima inedia: in quo genere ad id perfectionis devenerat, ut ipse apud me asseruerit: *se quidem diuturna exercitatione saporibus gratis privan-*

vandi palatum, *nibil jam ejusdem voluptates curare*, *nibil ipsis commoveri*. Neque vero quod nunquam non esset infirma valetudine, a macerando flagellis corpore idcirco abstinebat. In praedio, quo rusticatum petebant Socii, philosophiae dantes operam, conspiciebatur Josephi sanguine infectus cubiculi angulus, ubi ad plures ille annos pro rusticationis mense Minister cubuerat. Externus praedii administer cum, post Josephi discessum, cubiculum illud ingrederetur; *En*, ajebat illacrimans, *quam sanguinis copiam vir ille sanctus in se flagellando effundebat!* Neque voluit, qui successit in Ministerio, dealbari parietes illos; ut sinminus in imitationem, certe in admirationem promineret illustre decessoris piissimi monumentum.

In gubernando mirae prorsus, et pene incredibilis peritiae fuit; ut fortasse nunquam a recta et prudentissima via discedere visus fuerit. Subditos ad fiduciam invitabat perpetua vultus aequabilitas, qua Josephus liberaliter, atque instar amici, venientem quemlibet excipiebat. In illis pro munere corrigendis, leniter, et modeste se gerebat, verbis maxime appositis utebatur. Ut erratum quodpiam intellexerat, non e vestigio ad correctionem aut ira praeceps, aut temeritate festinus ibat; sed prius ad justitiae trutinam rerum omnium momenta librabat, secum ipse matura deliberatione volvebat tum errati naturam, tum errantis conditionem: ut nimirum hac praevia cognitione ductus, opportunius malo remedium adhiberet.

Cum autem, implorato Numinis auxilio, existimasset, sui muneris esse, ut erratum corrigeret; nullo aetatis, aut dignitatis discrimine, ad errantem quemlibet accedebat intrepidus. Et quidem memini, cum congregati olim Socii, qui praecipui muneribus erant, Josephi tunc Ministri praesentiam extimuerunt; quorum nimirum dignitas nihil obfuit, quominus a Melendezio increparentur errati sane levis, quod tamen ille credidit emendandum. Atque ipsi homines, quos in dignitate constitutos objurgarat liberrime; laudibus postea multis efferebant tam comem junioris Ministri suavitatem cum senili gravitate conjunctam. Unam delatori dabat aurem; alteram accusati confessioni, aut excusationibus reservabat. Siquis gubernationi suae subjectus, aut immodice arroganti, aut turbulenta esset indole, aut saepius blande admonitus, a delinquendo non cessaret; orabat Josephus frequentius Deum, atque enixius obtestabatur, ut, qui corda hominum movere, uti vellet, posset, viam emendationi aperiret. Ac tunc, si opus esse judicaret, paulo severiorem induebat vultum; nunquam tamen ultra paternae charitatis terminos. Etiam de suo remittens jure, promptus erat ad obsequendum subditorum voluntati, dummodo nihil peterent in Ignatiani Instituti detrimentum, aut religiosam Provinciae disciplinam. Meriti, et dignitatis uniuscujusque rationem habebat; quod quidem, data occasione sive coram gratulandi, sive absentes laudandi, sive munera impertiendi, affa-

tim

tim demonstrabat. In expensis pro Sociorum victu, et cultu, eximia fuit animi magnitudine: volebat enim omnes animo vere pauperes, nec fluxarum rerum amori deditos; curabat tamen, nequid illis omnino deesset, quod sacramento paupertatis obstrictum deceret hominem. Itaque vel de Collegii proventibus, vel de sibi oblatis muneribus, abunde providebat, quidquid esse putaret saluti, et commodo universorum. Peculiari quadam eminebat ratione in discernendis hominum ingeniis; in cogitationibus, fere dicam, divinandis; in prudentibus conjecturis faciendis; in sapienti consilio suggerendo. Id sane in causa, cur ad unum omnes, quos de Josephi interrogavi virtutibus, in haec mihi responderint: *Fuit Melendezius prudentia singulari, ut caeteris etiam ad gubernandum necessariis dotibus insignitus*. Alter vero adjecit: *Volventi mihi serio Melendezii gubernationem, nemo certe occurrit, qui prudentius illo, atque omnino perfectius in superiori potestate se gesserit*. Haec de homine opinio jam ab illo suo Ministerio invaluerat; et satis ipsa patuit in colloquio familiari Sociorum, quibus conspicua erat in illo Collegio dignitas; qui Socii, cum a Provinciae Moderatore interrogatum esset (uti moris erat pro evehendis ad regimina) de Josephi dotibus ad gubernandum, nihil cunctati sunt in haec fere mentem invicem aperire suam: *Quaeritur, num Minister possit elevari ad Societatis Magistratus? Profecto dignus esset, qui ad prima subsellia collocaretur; et saltem hujus Collegii, quod inter il-*

 la

la est primi honoris, *deberet Rector appellari*. Josephus Vtrera (vir claro nomine in Mexicana Provincia, cui tandem praefuit in summo Magistratu) cum tironum esset Magister, mihi ab eisdem proficiscenti Angelopolim in Divi Ildephonsi Collegium, ubi Rector ipse Josephum Ministrum intime noverat, haec de ipsius meritis aperte locutus est: *Intueberis hominem quam exiguo corpore, tam ingenti animo, et praecelsis dotibus, iis potissimum, quae superioris optimi sunt*. Josephus Zepeda, ejusdem Collegii ad sexennium Moderator, homo sane amplissimus tum doctrina, tum maturo judicio, tum regiminis prudentia, eam Josephi virtutibus fidem praestabat; ut, quanquam satis ipse invigilaret, Ministro tamen permitteret, suo arbitratu pene totam Sociorum juvenum gubernationem instituere. Justae profecto lacrimae, quas laudibus mixtas Josepho Melendezio, prudentia, et charitate in Socios egregie benefico, Mexicani tribuimus!

JOAN-

JOANNES LAURENTIUS SALGADUS.

MAgno Hiaquiensium bono, remotae nationis ad Septemtrionalis Novae Hispaniae terminos, quam ad biennium supra quinque lustra indefessus excoluit; tertio Idus Augusti, anno millesimo, septingentesimo decimo natus est Joannes Laurentius Salgadus. Patriam habuit pagum quemdam, cui nomen Copala est, ac praenomen sibi adjunxit pagi pietas a Sancto Josepho Deiparae Sponso, cujus religio in illis incolis longe inoleverat. Est autem in Nova Cantabria pagus iste, septingentis propemodum a Mexico milliariis, occasum inter, et septemtriones. Visus est jam a puero Salgadus inter illos numerandus, qui bonam, quod ajunt, sortiti animam, ad praecelsam sanctimoniae fabricam superstruendam, in aetatulae innocentia locant solidissimae molis fundamenta. Neque tamen sola indole ad pietatem prona rapiebat sibi universorum benevolentiam; verum etiam quod singulare nactus ingenium, illud praeter puerorum morem cupidissimus exercebat. Joanne adhuc puerulo, decrevere Parentes patrium solum deserere, cum totaque familia Vallisoletum, Michoacanensis dioeceseos urbem principem, immigrare. Ibi terrarum ad elementarios adscri-

ptus, latinis etiam vacavit litteris, primosque in grammaticis honores consecutus est. Inde, maturescente jam aetate, ingenioque ad bonas artes disposito, Mexicum immittitur, philosophicis cognitionibus excolendus. Atque hic nimirum Deus praestolabatur juvenem, ut a domo paterna, et charae cognationis blandimentis evulsum, ad sudores Evangelicos invitaret. Audiit ille secreto loquentis Numinis vocem, quam nulla interposita cunctatione secutus, ad Jesuitarum Mexicanae Provinciae Praesidem volat solicitus, et supplex obtestatur, ut se velit ad sibi subditos cooptare. Dotes illae omnes, quae pro Sociis admittendis praeoptabantur, in Joanne conveniebant: quippe honestis ille Parentibus natus erat, ingenio eminebat, robusta utebatur valetudine, pueritiam in pietatis exercitationibus ingenue transegerat. Ergo nihil obstitit, quominus, probata voluntatis constantia, quintodecimo Kalendas Decembres, anno saeculi vertentis trigesimo, in Tepotzotlanensi tirocinio Societati adscriberetur. Pluries demonstravimus, pietatis fuisse officinam locum illum, ubi ad mores purissimos, et religiosae vitae perfectionem tirones informabantur. Joannes, qui sponte cum curreret, calcaribus non eguisset; aliorum commotus exemplo, mire jam tunc ardebat desiderio, christianae virtutis uberrimos fructus edendi, animi demissionem maximo studio colendi, caelestium rerum meditationi mentem assuefaciendi: quae nimirum solida existimabat fundamenta pro Apostolico Ministerio,

quod

quod unum toto suspirabat corde; ut profecto, se in istiusmodi laboribus ad canitiem perventurum, vaticinari videretur. Hanc oppido sublimem sui cursus metam eminus cum conspiceret; et se ad Xaverii, Salvaterrae, aliorumque id magnitudinis virorum normam formari cum contenderet; egregium assecutus est robusti animi vigorem ad ardua quaelibet in Dei famulatu, atque animorum bono aggredienda: quem sane vigorem nulla postmodum terruit laborum difficultas.

Ab hoc Angelicae vitae biennio, religiosa tria vota de more cum emisisset; ad humaniores primum litteras, inde ad altiores disciplinas convertit animum. In qua litteraria exercitatione totis incubuit viribus, ut scientiarum ornamento decoraretur, tum ut Superiorum voluntati, quam maximi semper fecit, obtemperaret; tum vero, quod utilius vineam Domini exculturum se crederet, si et Divinis, et humanis cognitionibus mentem imbueret. Verumtamen Deo semper adhaerens, atque intentus animis, etiam in litterarum occupatione nihil humani honoris expetebat: non enim avidus erat gloriolae, non etiam scientiae propter ipsam scientiam; quo nimirum in scopulo naufragium facere solent hominum ingenia, qui in semita pietatis ferbuerant. Hoc eodem tempore, dum Theologiae addiscendae dabat operam, in Divi Ildephonsi Seminario puerorum philosophiae studentium Praefectus dicitur, cui cura esset de christiana illorum institutione. Magni

qui-

quidem intererat, qualibus compareret insignis dotibus, qui ad tale munus deligeretur: utpote cum Mexicana esset futura Respublica, quales ibi juvenes adolescerent. Locus erat ille, ubi e tota Nova Hispania conveniebant ingenui pueri, doctrina, et moribus informandi; et semper in illo numerabantur capitum ad tercenta fere; quorum septuaginta, ut minimum, philosophiae gymnasia frequentabant. Horum juvenum Praefecti erat, tota die super ipsos invigilare; siquid in philosophicis interrogarent, obscura enucleare, dubia solvere, atque ex eorundem Praeceptoris mente respondere; sed potissimum tamen instar soliciti Paedagogi numerosam illam, et floridam gentis Mexicanae spem ad pietatis amorem assuefacere. Joannes in ejusmodi ministerio, spinis undique, ac tribulis consito, maxima cum laude se se gessit; et gravitatem muneri debitam, comitate, ac suavitate mirifica temperabat. Pueris charus, illos amabat invicem; utpote qui normam ipsos educandi sibi duxerat prudentissimum illud effatum: ratione praeditum hominem, honestius certe, atque ad Reipublicae utilitatem conducentius instituí affabili sermone, et quasi paterna auctoritate, quam aut flagello, aut supercilio. Atque his tantis occupationibus ex animo intentus, nihil propterea cessabat ab assidua studii defatigatione; ut, confecto Theologiae curriculo, suum in litteris profectum egregie probaverit Praeceptoribus. Mox tandem majoribus Ordinibus initiatus, extemplo totum se dedit animo-

rum

rum lucro; quorum salutis amore ductus, qua sacris e suggestu orationibus, qua fervidis consiliis in poenitentiae tribunali, flagitiorum coeno immersis, jam ab illo dignitatis initio adlaborabat succurrere.

Vir ejusmodi dotibus excellens, et jampridem disposita voluntate ad Apostolica ministeria, dignus plane summo Provinciae Magistratui visus est, qui ad Hiaquienses mitteretur; quibus nondum penitus deferbuerat ira post anteactam proxime seditionem. Fuerant indigenae ad quatuor circiter annos inquieti, et turbulenti: ut etiam arma caperent, atque a Sacerdotum obedientia, qui bono ipsorum ibidem insudabant, omnino deficerent. Nunquam liquido constitit, quid causae primum moverit numerosam nationem, plus jam saeculo ad Ecclesiae ovile redactam. Id unum certum, nihil illos in rem christianam, nedum in Sacerdotum vitam aggressos: neque vero in id tendere sub initium videbantur, ut se se ab Hispano imperio subtraherent. Casu evenerat, ut abesset a Provincia Huidobrus, Cinaloviae Praefectus ab Rege; cujus absentiae tempore, nonnulli suspicati sunt, vexatos fortasse indigenas a quoquam Praefecti delegato; atque ira in dies crescente, in generalem deinceps tumultum erupisse. Rediit Huidobrus, cum jam bellum arderet; quod illi plus anno adversus Praefectum protraxerunt, binis Ducibus popularibus, quibus et calliditas erat non vulgaris, et magna inter suos auctoritas, et solers in re militari perspicaci-

cacitas, atque astutia. Prosperis quibusdam successibus, inolescebat, ut fit, rebellium vigor; atque hinc diripere agros, depopulari pagos, proximas argenti fodinas expilare. Interea Socii, sacrorum Ministri apud ipsos, collatis consiliis ad prudentiae leges, in proximiores e sua gente recesserant. Unus, qui ad Bacumenses laborabat, ab spe non decidens, amicis verbis, atque officiis demulcendi commissum sibi gregem; obstinaverat animo ipsum non deserere; attamen repente hominem circumdant Hiaquienses, extra ditionis terminos deportant, liberque, ubi vellet, abire permittunt. Atque hoc unum peccare in Sacerdotes ausi sunt, quod exulare illos cogerent; caetera vero debitum christianae rei honorem, nihil certe sperandum tali tempore, detulerunt; atque a sacra supellectili manus abstinuerunt. Per eos ipsos dies, quibus homines bello implicati, huc illuc vagabantur; foeminae, natura proniores ad Divinum cultum, templa frequentabant, cunctisque pietatis exercitiis, quae pacis tempore didicerant, intendebant. Remoto a Praefectura Huidobro; successit Vildasola, qui partim armis, partim industria, expertorum hominum consilia secutus, tandem obtinuit majorem Provinciae partem tranquillitati pristinae restituere; cum duos illos, qui seditionis fuerant principes, et belli Duces, fortunate cepisset, ac justo supplicio tradidisset: atque hinc denuo spes affulsit, exacerbatis illis animis pacem evangelicam denuntiandi. Hoc loco posita periculosa Pro-

vin-

vincia, destinari sibi exigebat veros, germanosque Christianae Fidei praecones, qui nimirum tanquam rursus conderent, quod belli diuturnitas in efferatis populis devastaverat: qui praecones et prudentiae laude pollerent, et robustam patientiam cum suavitate morum conjungerent. Haud ignarus Provinciae Praeses, quantum id esset negotii, utique constituit, ad Christi Fidem in Hiaquiensibus restaurandam, mitti debere floridissimos tum temporis et doctrina, et pietate, et juventutis vigore Sacerdotes. Hos inter excellebat inprimis Joannes Laurentius Salgadus; qui sane ut Superioris imperantis vocem audivit, oppido longinquum iter quamlibentissime aggressus est; atque urbium commoditati, amicorum dulcedini, et spei honorum aeternum valedicto; uni remotarum gentium saluti consulturus, protinus avolavit.

Erat Hiaquiensis regio, quam ab Hiaquio flumine irrigatam, atque appellatam alibi descripsimus, in septem numerosos pagos divisa; quorum is, quem indigenae patrio sermone Guiribisum nuncupant, in ministerium Salgado destinatus est. In eo numerabantur capitum circiter octo millia, quibus et Doctorem, et Medicum, et Judicem, et Patremfamilias, ad longam annorum seriem incredibili alacritate se se praestitit. Et quod nimium quantum laborem adaugebat, diuturno tempore ipsius etiam curae fuit pagus alius, Bethleemi nomine, qui e regione Guiribisi erat positus: ita uno, eodemque tempore sacrorum Minister fuit Guiribensibus

sibus ad meridianam, et Bethleemitis ad septemtrionalem fluminis plagam, ubi nimirum Hiaquius ingenti latitudine jam proxime illabitur mari Californico. Verum nihil difficultates ejusmodi Apostolicum hominem absterruere; quinimo, quamcitissime potuit, irrigare coepit sudoribus agros illos, quatuor jam annis propemodum steriles, et spinis horridos, quae semen evangelicum suffocaverant. Ac primum quidem familiaribus colloquiis, urbanis verbis, et mirifica morum suavitate corda demulcens hominum, sibi conciliavit indigenas; inde Christianae Fidei rudimenta pedetentim repetens, extinctam in eorum animis facem accendit, et miserabiliter distractos ad Ecclesiae ovile reduxit. Incredibile autem est, quot in illo ministerio labores, molestias, vexationes patientissimus homo devoraverit; ut nisi spiritu illo innixus, quo gratis roborare solet Deus ingentes animas ad Evangelii propagationem electas, neutiquam resistere tantae ad tot annos defatigationi potuisset. Hac, illac perpetuo discurrens in exaestuanti coeli temperie, quae vel ab omni opere cessantes respirare vix patitur; nunc Cishiaquiensibus, nunc Transhiaquiensibus laturus opem festinabat. Assiduus edocebat Christi legem; intentissima opera explanabat, ut pro illorum captu, res omnes ad aeternam salutem scitu necessarias; atque ita demum rudes hominum mentes instar ferri ad incudem conformavit, ut primus in eas regiones consuetudinem Salgadus intulerit, indigenas Euchari-

stia

stia reficiendi. Erat quidem ad ea etiam tempora miseris illis denegatum coelestis dapis alimentum: quoniam verebantur nonnulli, stupidis, atque hebetibus, ut ajebant, hominibus id concedere, perinde fore, ac Sanctum dare canibus. Aequius profecto judicabat Salgadus, ubicunque Sol lucet, nasci hominum ingenia, qui tanto Dei beneficio fungi possint; tantummodo si erudiantur patienter, si de Divinis rebus non oscitanter, et languide, sed praefervide, ac frequenter Magistros audiant, qui salutares institutiones expromant affabiles, et soliciti. Utique immenso labore, et diutina patientia opus habuit vir ille strenuus, ut unus pro tot hominibus, quod nunquam gustaverant, pararet coeleste convivium. Quae sane res, exemplo Joannes cum praeivisset, maximo indigenarum bono in universae Hiaquiensis regionis mores abiit. Id autem, quod de Doctoris est munere. Judex etiam lites dirimebat: nam quidquid inter ipsos controversiae oriretur, vel Parentes filius non honoraret, vel essent rixae inter conjuges, vel inter amicos, cognatosve jurgia, et concertationes, vel quovis alio nomine quicunque ipsorum injuria impetitum se crederet; ad Salgadi tribunal confestim accedebant: qui ut semel pronuntiasset, instar oraculi habebatur; nunquam adversis partibus a sententia provocantibus, nunquam non justam reverentibus. Profecto et ejus dictis obsequium praestabant, et amori amorem reddebant; cum nimirum animadverterent, nunquam illum stomacho motum, nunquam non

ad

ad modestiam, et temperantiam conformatum, neque vero tam Judicem, quam Patrem pronuntiare. Atque ea quidem verborum lenitate rem totam temperabat, ut potissima illi cura esset, ne partium voluntates ex lata sententia scinderentur. Nullum erat solertis, et diligentis Patrisfamilias officium, quo non ille ultro, et libentissime se se onerasset in suorum civilem institutionem. Nationi praepositus, quam nullae adhuc artes, nulla disciplina expolierat; alacri sedulitate curabat, ne cuiquam illorum victus, aut ne vestitus deficeret: hortabatur assidue singulos, invigilabatque, ut a pueris labori assuescerent; edocebat ipsos rationem et corporis exercendi, et agri disseminandi, et messium colligendarum, et omnino cum fructu impendendi temporis; ne membra essent humanae reipublicae vel prorsus noxia, vel certe inutilia. Matres erudiebat, quo pacto alendi pueri, quo juvenes educandi, quibus imbuendi praeceptis, quibus puniendi poenis tum universim filii, tum singillatim, qui ad hoc, qui ad illud ferebantur natura vitium. Cunctos amice salutabat, blande admonebat; humanus corrigebat, cum errarent; facilis, cum bene agerent, laudibus efferebat. Et qui Doctor, qui Judex, qui Patrisfamilias universae sibi commissae gentis habebatur; suarum etiam partium credebat, aegrotis corporibus medicari. Ut nulli aderant in remotis illis locis conducti pecunia Medici; vix primum ullus aliquis paulo gravius languescere videbatur, continuo propinqui

Sal-

Salgadum invocabant. Praesto erat ille; venam pulsabat; medicamenta imperabat, quae tum longus docuerat usus, tum in aureo didicerat libro, quem pro remotarum nationum utilitate confecit Medicus non ignobilis, nomine Steineffer, Adjutor olim Socius Mexicanae Provinciae. Quid facere non cogit sedulos vineae Domini cultores actuosa charitas! Joannes ut corporis Medicum egerat, ab aegroti lecto, nisi pro necessariis alibi ministeriis, non abibat; colloquia Divina interserebat, et sumptibus etiam, quantum poterat, adjuvabat. Satis haec fuissent pro robustissimo quovis homine sine intermissione occupando; ad haec tamen, affirmant intemerata fide testes, non contentum Joannem Guiribensium, et Bethleemitarum ministerio, in binos alios pagos, quorum erant nomina Guaimae, ac Sancta Rosa, frequenter discurrisse: ad quos etiam incolas Christiano ritu litabat, Divina mysteria edocebat, sacro fonte pueros, aliosque, quos aetate grandiores instituerat, regenerabat. Ita sponte sibi comparabat immensam docendi, et Christi nomen annuntiandi provinciam, ultra quam imperatus acceperat. Quibus tantis muneribus ut satisfaceret, plane suspicioni locus esse posset, addiscendarum linguarum dono divinitus fuisse ornatum: nam ad Guiribenses Hiaquiensi lingua utebatur, Pimensi ad Bethleemitas, Guaimensi ad Guaimenses, variisque ad Sanctae Rosae incolas, quem habitare pagum complures ex diversis nationibus confluebant, suum, ut inter

incultos homines, retinens unusquisque sermonem: quae profecto gentes omnes, quanquam sibi mutuo conterminae, tantum inter se lingua differunt, quantum Itali, et Angli. Neque vero intra hos memoratos terminos ardorem suum Apostolicum Joannes continebat: ubilibet enim per totam illam regionem quavis de causa Christianae rei Minister deficeret, ultro festinabat ipse vacuum implere ministerium; et quasi sua esset vinea, non ibi parcebat sudoribus, donec aut novus designaretur Minister; aut, si aegrotaverat, sanitatem recuperaret: quod alterius vices agendi officium pluries illi obtigit, atque interdum ad menses non paucos. Nec intelligere sane possumus, qui sufficere potuerit homo unus pro tanta laborum messe; nisi cum mentem advertimus ad Xaverium e Goa Comorinum, Travancoridem, Ceilanum, aliaque in loca volitantem, ubique mira operantem, atque instar plurium insudantem. Nimirum omnia possunt, qui Deum amant, et Deum amari ab hominibus alacriter quaerunt! Salgadus, cui plurium pagorum cura obtigerat, ad omnes agebat fidelem Christi Ministrum, nihil sibi indulgens, nihil non tentans, hac illac perpetuo excurrens, Divino amore agitatus, ut omnium sibi commissorum necessitatibus, et quae corporis erant, et quae animi, ex charitatis aerario provideret.

Is idem homo, qui tam sedulo studio alienis necessitatibus impendebat operam; quae sui corporis erant, profecto nihil curabat, quasi ho-

homo non esset misera formatus carne, mortalitatique obnoxius. Quidquid Sociis, eos inter populos vitam agentibus, et pro Christi disseminanda Fide adlaborantibus, liberalitas Regia suppeditabat; quidquid etiam quovis alio nomine in sui potestatem perveniebat; cum modica sibi pro vili cultu, et frugi admodum victu assumpsisset, in utilitatem indigenarum caetera profundebat. Nulli unquam e fluxis rebus corde adhaerescere visus est; voluntariae inopiae, quam semel Deo voverat, religiosissimus cultor. Uni cogitando, et amando Divino Numini, atque ad ipsius Numinis cognitionem, et amorem erudiendis hominibus intendens; quae istiusmodi non essent, lubentissime posthabebat. Nec ii solummodo, quibus erat sacrorum Minister, uberrimis fructibus charitatis ejus gaudebant; hoc enim studium egenis opitulandi, ultra etiam paroeciae suae terminos prolatabat. Notum omnibus ibi gentium erat, annonae inopia Californiam laborare, peninsulam illam ad littus oppositum, quam supra fertilem Calypsus Ogygiam, supra Fortunatarum temperiem, tot hominum insomnia perperam collocarunt. Actuosus curabat Salgadus auxilia immittere Sociis, qui vineam illam iniucundam, atque horridam exercebant. Tantis dotibus praeclarus homo, Superior semel, et iterum renuntiatus fuit, qui Socios omnes ad Hiaquium, et Majum, Cinaloviae flumina, laborantes gubernaret. Appellatus etiam fuit Supremus Moderator, qui Cinaloviae Provinciam universam cum potestate

perlustraret. Quo quidem tempore ad sudores, quos in suis populis informandis demonstravimus; curam, et solicitudinem regendi Ministros Evangelicos, quotquot in ea erant amplissima regione, adjungebat: illos absens litteris hortabatur; constituto tempore peramanter conveniebat; sedulo invigilabat, ut sui muneris partibus unusquisque satisfaceret. Non oscitanter torpere visus est in hoc explendo momenti maximi officio; verum ea insimul erat humanitate, christianaque animi demissione, ut omnes Joannem Salgadum, quem veneratione colebant, amore pari prosequerentur; quem nimirum admirabantur perfectissimum earum virtutum exemplar, quae constituunt Apostolicum in Domini vinea operarium; quales utique suos expetebat Ignatius; quales etiam Xaverius, apud barbaras praesertim nationes, cultores animorum. Recens ploravimus vita functum Ignatium Lizassoainum, Provinciae olim Mexicanae Moderatorem, egregium hominem, ad Hispanos Vascones natum, cui nullus in loquendo fucus, nulla amplificatio: hunc de Salgadi virtutibus cum interrogassem (ut pote quicum fuerat sacrorum Minister ad Hiaquienses) id perbrevibus litteris texuit elogium: *Joannes Laurentius Salgadus ad septem, et viginti annos, quibus Hiaquiensem excoluit vineam, nunquam non fuit sui similis in laborioso ministerio; in paupertate religiosa dicendus eximius; in charitatis magnitudine omnino ad heroes christianos, ut in salutis animorum studio ad Apostolos adscribendus.*

Ab

Ab arcana vero Dei providentia destinatus ad alterius generis labores, inopinato evellitur a percharis indigenis; quibus christiane, ac civiliter instituendis, propemodum consenuerat. A Josepho Galvezio, Legato Regio in Mexicanis, nuntius repente Cinaloviae comparet; Sociorum Moderatorem convenit; quotquot per eas regiones erant Evangelici Ministri, Moderatoris litteris convocantur; ab Hispanis finibus exilium indicitur; tranquille audiunt omnes, atque obedientiae se accingunt e vestigio. Salgadus, qui oram Hiaquii cum incoleret, longinquum versus Meridiem iter egerat, Regium verbum auditurus; eundem terrae tractum continuo repetere coactus est: nam imperati sunt omnes in Guaimensem portum contendere, qui trans Hiaquium jacet Septemtriones versus ad sexaginta milliaria. In illa terrestri peregrinatione, priusquam Hiaquium attingerent exules, tertio quoque, ut ajunt, passu in homines ab se in Fide Christiana eruditos incidebant, salutari se tristibus clamoribus inaudiebant. Et certe indigenae Salgadum sine lacrimis intueri non poterant, cujus nomen, et beneficentiam in Hiaquio, et Majo, et Cinalovia universa, grati oppidanorum animi laudibus efferebant; nec facile, dum unus aliquis eorum supersit, rerum ab egregio Ministro gestarum memoriam hauriet antiquitas. Cum Bicam pervenissent, pagum non ignobilem ad meridianam praedicti fluminis oram; binis, et eis male firmis, per fluvium conducti cymbulis,

et mare ingressi Californicum, incredibiles molestias, et pericula superarunt, ut Guaimensem portum attingerent. In aperta planitie juxta Guaimas ex trabibus luto compactis recens aedificata erant in circulum tuguria pro militum stationibus, qui propediem venturi Mexico ferebantur. Atque hoc pro novem mensibus diversorium fuit exulum ad duodequinquaginta: nam qui Cinaloviae commorabantur, qui Sonorae, qui ad Pimas, illuc omnes jussi sunt congregari. Et tuguria quidem illa, ut festinanter aedificata, non multum aberant a ruina: praeterea in area circuli bestiae condormiebant; et in confinio Serium, barbarae nationis, quae Christi Fidem non susceperat, raptuque vivere assueverat, obnoxius erat locus repentinis assultibus. Enimvero diversari commodius omnino haud poterant; cum pauculae ad Guaimas essent casae, illaeque miserrimae, ac longo sejunctae intervallo. Unus tandem Josephus Palominus, ad senectutem jam vergens, cruciatam efflavit animam. Tranquillus haec omnia Salgadus patiebatur, qui tot annos operam suam inibi loci posuerat Minister Evangelicus, et vineam illam ipsam, jamtunc propemodum obrutam, tantis irrigarat sudoribus. Nemo fuit ullus, qui viderit unquam hominem in ea calamitate intemperanter agitari; neque vel paululum ab religiosa dignitate discedere: siquidem probe noverat, id esse impigri, atque honesti villici, ut maximo conatu vineam sibi creditam plantet, atque irriget; id autem Domini,

ut

ut det incrementum, et, cum ita opportunum judicaverit, vineam etiam totam evelli patiatur. Post novem exactos menses eo loci, atque aerumnarum, parvulum navigium septem et quadraginta Socios excepit: et quae navigatio per mare Californicum ad Sancti Blasii portum, quinque sexve dierum spatio absolvi commode solet; quod inopportunum esset tempus, ad dies totos nonaginta duravit. Hinc erogari parcissime commeatus, putrescere horribiliter aqua, serpere foeda lues, qua correptis excrescebant, exulcerabanturque gingivae: ut qua fame, qua lue, cuncti quantocius interituri viderentur. Navicularius igitur opus existimavit, ad non longinquum Californiae portum appellere, quem vocant *Absconditum*. Ibi ad paucum tempus refectis quiete viribus, atque annona coempta, quae in summa loci sterilitate inveniri potuit; ut primum secundus favit ventus, insistunt navigationi. Haec autem, ut hactenus adversa usi erant fortuna, improspera etiam fuit: nam post paululum atroci adorta procella, in ultimum discrimen adducti sunt; et tantum non pelago absumpti, fere ostentum judicavere, quod, undis immaniter saevientibus in tantulae molis navigium, postremum fatum declinare potuissent. Altera tamen post periculum die, cum miserandum in modum agitati fluctibus, procul esse a terra opinarentur; ubi illuxit, ad exoptati portus fauces invenerunt se se, quem paulo post incredibili gaudio ingressi sunt. At manebant ter-

restria discrimina his, quae mari devoraverant, certe graviora. Utique portus Praefectus Emmanuel Riverus perhumaniter excepit a tanto periculo, et diuturno incommodo venientes, atque illos, ut locus erat, splendide recreavit; verum inde digressis Guaristembam versus via fuit omnium teterrima, et difficillima. Bene mane conscenderunt equos; iter egerunt magnam diei partem per lacus crocodilis plenos, quos anthropophagos esse, nemo est, qui non noverit; interdum ex equis desiliebant, peditesque viae insistebant, stomacho tenus aqua submersi. Culcitae, Sacerdotales codices, aliaque pauca impedimenta, quae sequebantur peregrinos; aut omnino perierunt, aut miserum in modum madefacta sunt: ut per consequentes dies aliquot non alia culcita, nisi duro solo, eoque non semel humido, uterentur. Utcunque misericordia moveretur, qui Regio nomine Ducem itineris agebat; pro loci natura, et inopportuna tempestate, nullus erat, qui a tantis incommodis eripere se se posset. Inter haec Salgadus, qui aetatis annum agebat ultra duodesexagesimum, serena erat fronte ad calamitates, ad pericula; comitesque laborum, qua erat inter ipsos auctoritate, tum verbis, tum exemplo ad patientiam cohortabatur. Tepiquium, Novae Galleciae oppidum, cum attingerent, generosa liberalitate illos oppidani adjuvere, ac necessaria quaevis, ut progrederentur commodius, nihil gravati sunt suppeditare. Inde procedentes Franciscus Posadas, vir illustris-

strissimus ut avita generis claritudine, sic etiam charitate, in quodam suo praedio lautis excepit epulis; gradarium, ut defessis, unicuique paravit equum; nec antea destitit iter agentibus favere, quam e mortali vita discederet: quippe cum audiisset, ad itineris dies aliquot in pago, cui nomen Agnacatanum, serpere inter exules periculosarum febrium contagionem; voluit, gravissima et ipse valetudine, ad illos proficisci. Verumtamen paucis milliaribus, antequam ad eos perveniret, fato praereptus est: cujus quidem obitus domesticum Sociorum luctum adauxit; et cum aliud grati animi signum edere non possent, Viro bene de ipsis merito lacrimas tribuerunt, et preces funebres obtulerunt, quibus manes defuncti sublevarentur.

Nec omittendum hic censeo, vix milliariorum septuaginta intervallo Socios undeviginti funestam eam peregrinationem cum immortalitate commutasse. Henricus Kirtzelius, Germanus, quem Sanctum vulgo appellabant, et Sebastianus Cava, Hispanus, vir insigni mansuetudine, Agnacatani interierunt, ubi serpere coepisse febres dudum demonstravimus. Inde Istlanum progressi peregrini, pene omnes eodem die lethalibus morbis, quorum nemo naturam noverat, correpti sunt. Atque hic Nicolaus Perera, Zacatlani in Nova Hispania natus, primus Kalendis Septembris elatus est, cum duos, et septuaginta vixisset annos, quorum quadraginta duos in Apostolica defatigatione consumpserat: et quanquam prae senio, et valetu-

letudine, alienis humeris portatetur, se tamen voto religionis obstrinxerat, Socios exules quacunque insequendi, et Mariam Virginem Lauretanam in Picenis visitandi. Hunc secutus est eodem die Franciscus Villaroja, Hispanus, robusta aetate, florente valetudine, magnaquae spe ad sudores in Evangelica vinea. Tertium ad easdem Kalendas mors eripuit Michaelem Ferdinandium Zomeram, cui patria Talpujagua, oppidum in Mexicanis; explevit aetatis annum sextum, et sexagesimum, Apostolici ministerii trigesimum sextum: hic erat, inter alias virtutes, religiosa eximius paupertate, qui quaecunque habebat, beneficus largiebatur; ut, paucis ante mortem diebus culcita etiam donata, in nuda cubans humo diem clauserit postremum. Postridie ibidem decessit Lucas Merinus, qui Majum, Hiaquiumque extremis temporibus gubernabat, nulli non charus indole suavissima. Tertio Nonas in eodem obiit loco Alexander e Rapicaniis, nobili familia in Bremensibus, qui ad senectutem devenerat inter incultas eas gentes, perquamgratam de se relinquens memoriam in Sonorensi Provincia. Tres vitam posuere pridie Nonas in eodem Sociorum funesto sepulchro; quorum primus Josephus Ronderus, Angelopolitanus, clarus ingenio, et sanguine, clarior certe charitate in illas remotas gentes, quas excolere missus est aetate floridus: a quibus evocatus Angelopolim ad Sancti Ildephonsi Ministerium, cum a Provinciae Praeside obtinere non posset, ut ad sibi charas gen-

gentes iterum mitteretur, id a Praeposito Societatis Generali exoravit. Alter Pius Laguna, Chiapensis in Novohispanis, qui tametsi debili semper usus valetudine, religiosissime adlaboravit in pago Basaraca positus, e regione ferocium gentium, quos Apachios, et Seres nuncupant; qui sane, quidquid poterant, hostili depopulabantur audacia. Tertius Xaverius Pasqua, natus Anticariae in Nova Hispania postridie Idus Aprilis, anno saeculi nostri trigesimo secundo; qui ante triennium Babispae vineam in Sonorensibus exercendam susceperat: hunc profecto (quem contubernio novimus, et perfectissimam Aloysii Gonzagae imaginem venerati sumus) nemo unquam fuit, qui viderit, ab ulla Societatis lege, vel minima, deflexisse: propterea cum fama olim vulgatum intellexerimus, puellam quamdam a morte fuisse revocatam ejus imperio; nihil mirandum credidimus, castigatissima sanctimonia virum divinitus fuisse ostentorum dono insignitum. Post hos tertia die fato concessit Franciscus Glauva, (patrio sermone *Hlawa*, quod paululum immutamus latinae suavitatis gratia) Pragensis, qui anno saeculi vertentis quinquagesimo primo, cum sacrorum esset Minister ad Primas, his repentina defectione furentibus, ad necem quaesitus fuit, ut caeteri omnes, qui tum temporis Christi Fidem ibi gentium annuntiabant; quorum bini, Thomas Tellus, et Henricus Ruhenius, rebellium manibus mortem obierunt in Domini conspectu pretiosam. Glauva tamen

Di-

Divina Providentia servatus est, qui sexdecim alios annos in re Christiana Cinalovienses erudiret. Tertio Idus Septembres ibidem e vita migravit Joannes Nentuiggius, Germanus, Mathematicis cognitionibus apprime clarus, qui Ministros in Pimis, et Sonorensibus Moderator supremus gubernaverat, et qui in memorata nuper Pimarum conjuratione gravissimas aerumnas admirabili tolerantia passus est. Postridie Idus prope Istlanum anno aetatis trigesimo desideratus est Petrus Diezius, nota Mexici natus familia, quem tentavit Deus tum tenui valetudine, tum scrupulis urentibus animum; quibus nihil obstantibus, a Superiore imperatus, paucis ante exilium mensibus iter aggressus est milliariorum ad mille et ducenta circiter, labori Apostolico vacaturus; vix vero Atim, locum sibi destinatum pervenerat, exilii legem audivit: ut penitus videatur, eo duntaxat a Numine immissus, ut ejus patientia exerceretur. Suavissimi juvenis cadaver Istlanum delatum est. Septimo Kalendas Octobres Magdalenopoli diem objit Emmanuel Aguirrius, in Vasconia prope Pampelonem natus, quem urbanitas, probitas, charitas, et studium ingens Deo comparandi animas, necessariae maxime dotes Evangelii praeconibus, exornabant: ante biennium Superior constitutus fuerat Sociorum omnium, qui vacabant in Nova Hispania Neophytis instituendis. Ibidem post diem tertium e vita excessit Ferdinandus Berra, cui patria Marfilus juxta Guanaxuatum, ab argenti fodi-

nis

nis famosum oppidum: hic jam a puero visus est judicio, et pietate maturuisse: flagrabat desiderio Christi Fidem propagandi; neque vero annum dedit totum Apostolico ministerio. Istlani, ubi diu aegrotus remanserat, Nonis tandem Octobris mortem obiit Josephus Liebana, Hispanus, tranquilla semper comitate juvenis, cui ad Evangelium disseminandum proficiscenti, cum sacrae *mortis compendio vitam possidendam beatam*, inter abeuntis complexus memorasset Josephus **Bellidus**, vir praeclara sanctimonia, credebatur non longinquum ipsi praenuntiasse interitum: sane ante biennium vivere desiit. In pago altero, cui nomen Mochitilticus, finiere vitam Maximilianus Lerojus, et Raimundus Sanchezius; hic Hispanus, quinto Idus Novembres, vir animi moderatione, ac linguae temperantia laudandus; ille Gallus, ante duos fere menses, qui Cameraci ad Belgas Gallorum natus, nomen ibidem Societati dedit; exaestuans vero studiis Christum praedicandi, ad Novam Aureliam, Gallorum tum ditionem in America Septemtrionali, profectus fuerat: inde postquam Sociorum in Gallia res perierunt, constans ipse, propositique tenax, ad Mexicanos transivit, Praefectis ibi rerum conniventibus; atque, ab Sociis ut perhumaniter exceptus, ita et in singulare exemplum omnimodae virtutis habitus, brevi quidem et moribus, et lingua Mexicanus factus est: hinc ad Pacem Lodoicam Otomitis vacare cogitabat, cum tandem ad Cinalovios ire jussus est,

ubi

ubi postremos laboriosae vitae posuit annos. Quartodecimo Kalendas Decembres Tequilae vita functus est postremus omnium Bartholomaeus Saensius, Hispanus, vir animi demissione mirabili, et comi semper charitate.

Datum sit hoc perbreve monumentum calamitosorum hominum morti consecrasse, quos inprolixe describere singulos, nostri non est instituti; quos tamen omnino praeterire, nefas duximus: cum videantur aeternam memoriam justissimo nomine meruisse. Qui ab illis, tanquam Thermopylis, fuere superstites, in alios ex aliis laboribus vocabantur: ut profecto nihil dubitandum existimemus, quin felices appellaverint Socios, quibus fortuna fuerat peracta jam sua. Neque idcirco minus haec omnia doluisse unusquisque censendus est, quoniam pluribus fuere communia. Et certe Salgadus, cui misericors natura obtigerat, non solum de suis angebatur aerumnis; verum et patientem ipsum aliorum in eisdem positorum angoribus miserebat. Socios intuebatur defessos, afflictos, inopes, languentes, cum morte luctantes; et cum aliter eos non posset, nisi verborum auxilio, sublevare, ingenti sane dolore ad praecordia cruciabatur. Atque ut primam sibi inter illos auctoritatem tum ab aliis virtutibus, tum maxime ab religiosa constantia comparaverat; ipsum alii conveniebant sive animi gratia, sive consilii; alii vero ad lectum vocabant, quem terrorum, quem cruciatuum participem facerent; cujus vultum aequabilem, tan-

tanquam a coelesti Numine pacis nuntium, in postremo agone conspicerent. Quin imo, cum in ejusmodi charitatis officiis ad canos pervenisset, etiam non vocatus praestabat se se facilis, dubios ut dirigeret, aegrotos ut recrearet, afflictos ut solaretur. Duodetriginta demum Socii, postquam mille, ac tercenta circiter milliaria fecissent, ingentibus ut aerumnis, ita periculis etiam superatis, Veramcrucem attigere; unde brevi solutis anchoris, nongentisque aliis milliaribus emensis, in Havanam transducti sunt. Post longiusculam ibi commorationem, denuo maris periculis mandantur; qua postrema usi prospere navigatione, Gades appulsi sunt sexto Idus Julias, anno post latam exilii legem confecto secundo. Inde in proximum Mnestei portum delati, triennium totum conquievere; donec ex Regio imperio per diversa peninsulae Hispanae loca dispersi, Coenobitis traduntur, qui singulos custodirent. Ad Franciscanorum Familiam Salgadus destinatus est in pago quodam, vulgo *Tabladilla*, Placentinae dioeceseos. Et hactenus notum nobis est de tanti hominis vita: nam injuria temporum accidit, ut post annos aliquot audierimus, ibidem diem obiisse, nulla temporis, nulla peculiarium virtutum ratione significata; quem tamen eventum anno post octogesimum primo contigisse, nonnullo fulti fundamento suspicamur. Et nihil certe dubitamus, quin homo iste, qui a tenero castigatissimis moribus egregius fuerat; qui ad septem, et viginti Apostola-

tus

tus annos uni Verbo Dei propagando, emolumentoque animorum intenderat; qui ad incredibiles aerumnas, tantosque mari, ac terra labores mire constantem se praebuerat; nihil, inquam, dubitamus, quin collocatus in Coenobii quiete, unique aeternae suae saluti jam vacans, quamplurima Sanctimoniae documenta reliquerit; quanquam in obscuro silentio cum delitesceret, neutiquam illa domesticos parietes praetergressa sint. Utinam Hiaquiensis hujus Apostoli nobis licuisset tum extrema morientis colligere suspiria, tum manus, pedesque vita functi deosculari!

JOAN-

JOANNES FRANCISCUS LOPEZIUS.

INter viros ingenio, et doctrina summos, quos postremae calamitatis tempore Mexicana Societas numerabat, jure debetur locus Joanni Francisco Lopezio, quem non solum a domesticis, verum etiam ab externis, nec in illo duntaxat orbe novo, sed in hoc etiam vetere novimus ab Sapientia praedicatum. Ortus est Guarenis, paterno suburbano juxta Caracas, nobilem urbem Americanam, Provinciae caput; a qua urbe nomen est Cacavio, fabae illi nimirum, qua coccolatum hodie inter praecipuas potiones, atque orbis delitias est. Siti vero sunt Caracenses latitudinis gradu fere decimo ad Septemtriones. Pater ejus, Didacus Lopezius, Lacunae natus, quae civitas est Nivariae, unius ex Fortunatis insulis, Caracas inde transmigrans, bonorum fortunam non mediocrem adeptus ibi fuerat; cui viro nobilis foemina (cujus nomen ignoramus) Nonis Aprilibus, anno 1699. Joannem Franciscum peperit, qui Patri fuit eo charior, quod unigena, et quod Matre orbatus adhuc infantulus. Hic a tenero patefecit miram ingenii facilitatem; quod ingenium ut aliquando cultius explicaretur, constituit Didacus Veramcrucem cum filio transmeare, portum Novae Hispaniae percele-

brem, ubi ab ingenti copia peregre adeuntium ut maximopere floret commercium, ita et excoluntur ingenia, et urbana institutione, liberalique consuetudine gaudent affabiles oppidani. Anno igitur decimo saeculi vertentis mari se dedere Lopezii, qui forte fortuna, ut bellum tunc ardebat inter Hispanos, et Anglos, ab his fuere capti, et Jamaicam, propinquam Anglorum insulam, deducti. Et hoc fuit pueruło Joanni tirocinium peregrinationum, quas longissimas in diuturna vitae serie, nihil territus animo suscepit; ut etiam fuit initium ejusdem consuetudinis cum externis, quibuscum urbanissime, atque omnino convenienter ut ageret, dono videbatur apprime insignitus; nec homines unquam reformidavit, cujuslibet essent gentis, cujuslibet Dignitatis. Magni certe refert ad animi culturam, in ejusmodi nova, et difficilia incidere; dummodo ingenium habueris perspicax, et voluntatem paratam, ut ab humanis eventibus erudiaris. Post paucos vero menses a captivitate liberati, et vela solventes a Jamaica, brevi Veramcrucem appulsi sunt; ubi Joannes ad elementarios primum, inde ad grammaticos collocatur. Erat quidem grandiusculus aetate, si morem consideres, qui in Nova Hispania inolevit, ubi sexennes fere pueri Ludimagistris traduntur; eo tamen opportuniori maturitate litterarium theatrum ingressus est. Ac jam a primis exordiis ingentem explicans discendi aviditatem, et summa cum voluptate studio navans operam indefessus, facile princeps evasit in grammati-

cis.

cis. Quadriennium vero excultus, et coalescente jam aetate; religiosae vitae propositum sequi voluit, et consilium Patri manifestavit: qui Pater quanquam doluit ab se avelli unigenam, et nominis, et opulentiae non mediocris haeredem; Deo tamen filium concessit, et filio facultatem, ut Societatis disciplinam ab ipso desideratam amplecteretur.

In Divi Stanislai Kostkae pervigilio, anno 1715, Tepotzotlani tirocinium inivit; cujus exacto biennio, et nuncupatis de more votis religiosis, ad amoeniores litteras transivit. Mirae alacritatis adolescens quam effuso gaudio, tam sedula constantia totum se Musis tradidit, quibus erat certe charissimus, et a quibus innatam indolem accepit, ut in poeticis leporibus, et rhetoricis illecebris quasi excantatus delectaretur. Et hinc assiduus volvebat priscos illos principes, qui ad consummatum saporem in humanis artibus mentem informant. Neque vero delicatulus antiquorum cultor, posterioris aevi Sapientes fastidiebat, qui a primis illis humanitatem hauserunt, et quorum plures in patrium quisque sermonem antiquitatis venustissima transtulere, vel omnino primorum opera vertentes, vel ab illis nonnulla mutuantes, vel ad nova Marte proprio excudenda, ipsorum vestigiis insistentes. Non mediocri ardore hispanam poesim excoluit, ejusque Gentis poetas dies, noctesque versare in amoribus habuit. Sed in ea tempora incurrit Lopezius hoc primo juventae flore, quae nondum fuerant ab anteacti saeculi

Scriptorum vitiis, per Italiam pariter atque Hispaniam irrepentibus, repurgata. Itaque quamvis postea matura jam aetate, ac supervenientium criticorum lectione, sententiam mutaret in plurimis; negari tamen haud potest, primis annis potissimum, iis vitiis peccavisse, quae a pravis (aetatis quidem, non ingenii malo) dicendi, et canendi Magistris condidicerat. Gongora praesertim eo tempore in summis erat illi delitiis: qui Gongora hoc certe fuit Hispano Parnasso, quod Cordubensis ille Seneca, civis Gongorae, Romanae fuit olim Eloquentiae. Aperuit sibi Gongora in poeticis iter insolitum, quemadmodum Seneca inter Oratores. Et abundat uterque dulcibus vitiis; et in utroque invenies ea portenta dicendi, quibus praecelsae dotes cum naevis deterrimis prodigialiter in unum coalescunt. Hujus Gongorae lectioni, quem nostri homines eo tempore attoniti admirabantur, toties Lopezius institit, ut tota pene ejus opera memoriter pronuntiaret. Ab hoc autem, ejusque similibus assidue legendis, pervenit in hispani sermonis tersissimam puritatem, quam nunquam in ejus ore vox ulla vel minus conveniens, vel peregrina maculabat. In quo quidem assequendo, ut maxime ab eo tempore adlaboravit, ita lamentabatur postmodum, id a pluribus fere non curari; ajebatque, vernaculi sermonis proprietatem inter primas esse partes cultae litteraturae. Utinam ex hujus hominis consilio, quam solicitam operam Magistri navarent, ut elementarii pueri nativam linguam condiscerent, nec nutricum,

et fae-

et faecis hominum corrupto sermoni relinquerentur! Ab amoenis litteris ad philosophicas primum, deinde ad Theologicas artes evocatus fuit Joannes, ubique ut primus ingenio, primus etiam honoribus. Pro tradenda grammatica missus est ad Sanluisienses in Potosinis, ubi et admirationem ab ingenio, et a morum urbanitate singularem civium benevolentiam sibi comparavit. Sacris jam initiatus, Magister etiam grammaticae ad Veracrucenses appellatur; ubi Didacus ejus Pater, jam tunc aerarii Regii Praefectus, oppido filium desiderabat.

Post annum hujus muneris, tametsi vix undetrigesimum ageret Joannes, credita illi fuit Sodalitii Praefectura, quod sub titulo Mariae Virginis Dolentis in eodem oppido vigebat: quo in conspicuo munere manifestum fecit, quantus esset, vel ea aetate, ad Sacrae eloquentiae partes adimplendas; quantamque in officiis curae suae commissis efficaciam adhiberet. Sane suis conatibus debuit Sodalitium incrementa non modica, quae ipsius Praefecturae tempore allata fuisse comperimus; ut ejus memoriae debuit annuos reditus non leves, quos moriens post annos aliquot Didacus Lopezius eidem Sodalitio legavit. Idem Didacus imaginem filii Praefecti, solatium suae senectutis, adumbrari praecepit; quae post suum obitum ex ejusdem nutu in Collegium Sociorum translata, cernebatur annos plurimos in ejus cubiculo, qui tradendis grammaticis intendebat. Et quidem multis nominibus meruit Joannes non obliterari ejus memoriam in

illa urbe, ubi tot posuit sudores in civibus excolendis: nam ad caetera Praefecturae negotia, tempestas illi calamitosissima contigit, cum Socii omnes Collegii Veracrucensis naturae concesserunt, solis inter vivos manentibus ad numerosae civitatis culturam Moderatore, ac Praefecto. Nihil itaque mirum, Joannem Franciscum percelebri fuisse nomine ibi gentium: notus enim, et praedicatus tum a Patris Dignitate, tum ab ingenio excellenti, tum ab eloquentia in suggesto, tum ab urbana elegantia; ubi ubi expetebatur ad consuetudinem, eorum praesertim, qui politioribus eruditi litteris (ut saepe inveniebantur in amplissimo portu, qui ab uno in alterum orbem immigrabant) in audienda Praefecti facundia, magnam jucunditatem reperiebant. Per id temporis novum philosophicis artibus gymnasium ad Zacatecos institutum est, ac primus illarum Magister in ea urbe Lopezius renuntiatus; qui ad novam provinciam auspicatissimum attulit ardorem. Atque ut fuerat civibus cupido incredibilis hoc majoribus disciplinis erigendi subsellium in urbe frequentissima, et praeterea invitabat designati Magistri excellentia; confertissima Zacatecorum multitudo confluxit, quos triennium alacri sedulitate, copiosaque doctrina novus Magister cum instituisset, sui admiratione defixit omnium ordinum animos; a quibus, confecto munere, discedens, in optimi Magisterii probationem tulit secum vota, et amorem universae civitatis. Mexicum appellatus, eumdem resumit laborem tradendi philosophiam ex-

ternis

ternis adolescentibus; et in illa urbe praestantissima, quam litteratorum copia condecorat, cumulatiores ejus nomini plausus excitati sunt. Ut ut nullum alium habuisset auditorem, satis unus esset ad aeternam Lopezii gloriam Cajetanus Turrius, qui et a multiplici omnis generis litteratura, et a summa in Theologicis, et jure utroque sapientia, et ab latini sermonis elegantia, et a patria eloquentia, et a promeritis in Academiam Mexicanam, magnum in eadem Academia fuit nomen, et non nisi tardissima aetate interiturum. Qui Cajetanus, dignus tali Doctore discipulus, ad laureas, et honores raptus excellentia meritorum, egregiam Dignitatem supremi gymnasiorum Praesidis in Canonicorum Collegio adeptus est; ac sine dubio induisset Pontificatus infulas, nisi animo penitus obstinasset, nomen suum a candidatis abradi: quae sane temperantia singulari doctrinae, ac maturo judicio adjuncta clariorem fecit hominem, qui Mexicani regni ornamentum, et delitiae fuit ad postremum usque spiritum, paucis abhinc annis in luctu litteratorum emissum. Hic ergo Cajetanus Lopezium Magistrum semper amavit, coluit, praedicavit, atque in solo alieno senescentem, inopia premi non permisit.

A duplici philosophiae Magisterio exeuntem novus honos excepit; in loco tamen remoto, qui tantae doctrinae viro minime convenire videretur, nisi munerum claritudini antehabita fuisset obedientia. Emeritae in Jucata-

 nis,

nis, Mexico ad nongenta milliaria, Magisterium Divinae Scientiae vacaverat; quod ut impleret, navigare Lopezius imperatur. Emerita, perquamvastae Provinciae caput, urbs est in Jucatanis florentissima, quae numerat oppidanos ad viginti circiter mille. Illustris est multis imaginibus ab antiqua Hispanorum nobilitate, quibus a christiana illarum gentium infantia placuit inibi commorari. Una manet illa Provincia in Novohispanis, ubi supersint illi Dignitatis conspicuae tituli, quos patrio vocabulo dicunt *Encomenderos;* quod fuit Dignitatis genus ab Hispaniae Regibus excogitatum. Illud quidem *Feudum* non est; accedit autem propius ad priscum Patronorum jus in Romanis; atque adeo debellatae Gentis Patronos appellabimus; quibus nimirum populi clientes tributa pendunt, ut caeterae gentes Principi. Et quoniam bona Jucatanorum fortuna, ipsis Patroni contigere, quos non inebriavit splendor Patronatus; idcirco, deleto ab Regibus Catholicis hoc jure per totam Americam, in Jucatania duntaxat, nullo reperto abusu Patronorum, perpetuati sunt isti ad nostram aetatem. Viae civitatis ab oriente in Occidentem Solem, ad rectam amussim conformatae sunt; et utrinque arcubus ingenti altitudine unaquaelibet terminatur. A terra, et a mari commeatibus abundat regio ad delicatam alimoniam; et quidem oryzam, nativumque frumentum, quod vulgo *Maizum* appellant, nullibi perfectiora producit Nova Hispania; optimae vero naturae triticum non habent

bent incolae fructum patrium, quanquam ipso, quantum satis est, gaudeant, navibus importato. Solum universae Provinciae saxum est, quod omnino candidum apparet, si paulo terram effoderis; quae terra nullibi fere profunda est ultra sesquipedem. Et quod mirere, passim consurgunt procerae arbores; quarum radices in saxi rimas insinuant se se, atque ipsi saxo fortiter adhaerent. Aratro tellurem proscindere non noverunt indigenae; ratio vero disseminandi haec illis est plane singularis: in loco seminationi destinato incendia excitant, affatim praebentibus materiem arboribus ab luco perpetuo; et statim a prima pluvia, in madefactis cineribus temere jaciunt semina: nec alia industria, colliguntur messes uberrimae. Tota undique regio mari clauditur, nisi ad Solis occasum, qua continenti Novi Orbis adnectitur: nullo usquam alluitur flumine, sed solis pluviis, et rore nocturno copiosissimo. In usus vero mortalium vel colliguntur in cisternis aquae caelestes, quibus cisternis, nulla est honesta domus, quae careat; vel provida natura suppeditavit fontes, quos ibi *Senotes* Provinciae vulgus appellat. Et sunt hi Senotes profundae voragines in lapideo Jucatani solo, quas diversa magnitudine per omnem Peninsulam reperies, et in quibus aquae limpidissimae magna copia congeruntur; alibi quidem patentibus venis a voraginis lateribus; alibi autem per occultissimos lapidis meatus insinuante se mari, quod undarum perpetuo motu, naturalique pondere

pre-

premit terram: hinc aquula minutatim divisa penetrat lapidem nunquam cessante humore; aquae vero particulis aliis alias continenter propellentibus, mille modis in angustiis meatuum castigatus liquor, primo crassiorem sui partem, deinde subtiliorem salem relinquit; donec omnino purgatus longo arcanae viae tractu, tandem splendidior vitro in voraginibus memoratis, larga manat in usum animantium copia. Et sunt ex his voraginibus aliquae, in quibus nulla tergiversatione creditur inventum flumen subterraneum; quale fertur in ea oppidi Vallisoleti voragine, cujus naturalis concameratio ingentem sustinet molem coenobii Franciscanorum. Sed instituti nostri non est, longa hujus veritatis experimenta ponderare. Ad haec caelum Provinciae quanquam oppido calidum, mirae tamen est salubritatis, a qua primis illis temporibus fere appellabatur Jucatanum totius Novae Hispaniae valetudinarium. Fervet opus ibi terrarum commercio gossypii, cacavii, tabaci, cerae, mellis, alutarum, nativi glasti (quod Indicum vocant Itali, *Agnilum* Hispani) aliorumque innumerabilium, quae tellus illa parturit feracissima: praecipuum vero commercii caput ligna sunt, et pro fabrum lignariorum operis, et pro infectoribus; ubilibet enim copiosissima lignatio est. Ac fuit ea curiositate quidam Sapiens, quo tempore ibi commorabatur, qui ad septuaginta duo diversa ligna in exquisitis numeraverit. A quibus omnibus, et aliis mirandis, diu est, cum desideramus,

exur-

exurgere scriptorem aliquem diligenti strenuitate, qui naturalem ejus regionis historiam posteritati consignet, certe in paucis humano generi salutarem, et litteratorum curiositati jucundissimam: qui scriptor neutiquam omittat civium mores, qui humanissimi sunt, hospitales quammaxime, generosaque liberalitate in amicos, et peregrinos effusi.

In hac igitur Provincia, et novo gradu Lopezius constitutus, et insuper admotus ad Seminarii Divi Petri administrationem, in quo externi adolescentes ad virtutem, et doctrinam informabantur; non diu fuit, quin hominis fama per totam civitatem secunda admurmuratione serperet, magnaque apud ipsum fieret frequentia, tum Theologica interrogantium, tum consilia pro civilibus expetentium, tum eruditissimam ejus consuetudinem adamantium, et nullis non plausibus prosequentium. Emeritensis vero Pontifex, Franciscus Mattius Coronadus tanti Lopezium aestimavit, ut illum tanquam oraculum audiret, ejusque consilio jurisdictionem vastissimam gubernaret. Quod autem mirum erat maxime, veniebant hi plausus hominem quaerere in cubiculi solitudine latentem, ibique in librorum lectione nihil interrupte desudantem: is enim erat Lopezius, qui nunquam omnino dedit otio temporis vel particulam; atque ita potuit, quod pene supra humanam est fidem in vita tot occupationibus agitata, infinita volumina omnigenae litteraturae legere, idque adeo intente, ut de omnibus acutum, et

matu-

maturum judicium pronuntiaret; neque vero defuit illi propterea tempus, ut plura etiam calamo adlaboraret, nec paucos felicissimae suae mentis partus posteritati committeret. Ibidem dum Magistrum ageret, Gallicae linguae addiscendae vacavit, fuitque primus, qui totis viribus promovit in Mexicana Provincia, ut Socii Gallicis litteris ornarentur, neque tot opera exquisita legere nativo sermone cultissimae hujus nationis omitterent. Ab hoc Magisterio post annos aliquot revocatus Mexicum, in Professorum domo praeficitur enucleandis Fidei Catholicae principiis, quod erat *Cathechistae* munus, Graecorum, et Latinorum Patrum vocabulo. Et quidem munus hoc nulli secundum inter ea, quae gravissimis verbis, et exemplis Lojola Sociis commendavit, semper magni habitum est, et inter primaria, et nobiliora, donec stetit Societas. Mexici vero, postquam Angelopolitanus Parra, illud Mexicanae gentis decus, et in toto imperio Hispanico ab suis *Cathechesibus* vir notissimus, hanc Spartam in eadem Professorum domo illustravit laude non facile intermoritura; erat hoc ex illis muneribus, quae non nisi doctissimis, et primi subsellii viris committebantur. Quo in munere confirmata Lopezii fama, et merito roborata doctrinae, atque eloquentiae laude, quae plurimum jactabatur; denuo Magister dicitur, qui Vespertino tempore domesticis Theologiam traderet in Mexicano Divorum Petri, et Pauli Collegio. Et hic incredibile fuit, quantis muneribus unus homo

suffe-

suffecerit; quae certe implevisse non poterat, nisi ex illis fuisset lectissimis animabus, quae plurium doctrinarum laude peraeque florent, et quarum mentis celsitudinem cumulat expedita in rebus agendis facultas. Ultra dictata in gymnasio, quae sane miris conatibus expoliebat, et quae requirebantur, atque avide legebantur a nonnullis doctrinae ipsius admiratoribus; ultra etiam alia plura, quae Magisterii laboriosissimi erant; immensa expediendarum rerum seges quotidie Lopezium occupabat: nam et frequentissima civitas nullo ordinum discrimine illum in dubiis conveniebat; et Fidei Censores ipsum consulebant in assiduis, et spinosis, et maximi momenti rebus, quae illorum tribunali contingunt; et a Praetoris aula judicium ejus in perarduis, atque inopinatis exquirebatur: quoniam palam erat, Lopezium peritissimum esse juris Mexicani, et legum codicem apprime novisse, quas pro gentium illarum administratione tulerunt Hispani Reges a debellato Moctezuma. Et frequenter quidem ad ejus dicentis normam, decreta Praetoris de istiusmodi rebus ferebantur: cum autem aliorum consilia non semel praevaluissent; Lopezii perspicaciam, aliter opinantis, et fere praesagientis, eventus comprobavit.

Inter haec primarium jam occupabat subsellium in Divinae Scientiae Magistris; cum, indicto Mexicanae Provinciae Conventu, Lopezius Procurator ingenti Mexicanorum plausu designatur, qui Romam, et Matritum contenderet;

deret; eique datus individuus peregrinationis comes Josephus Bellidus, Rector ad Zacatecos, quem eximiae virtutis hominem separatim adumbrabimus. Plura Lopezio mandavit Conventus, ab supremo Societatis Magistratu postulanda, quorum suo loco mentionem faciemus. Cum autem nulli non esset cognita electi Procuratoris doctrina, honestas, efficacia, et industria; incredibile profecto est, quanta illum negotia oppresserint etiam ab externis, praesertim a totius Regni Proceribus, qui sua certatim ejus operae committebant. Innumerabilia certe fuere ab omnium ordinum hominibus, quae procuranda suscepit; quanquam ea omnia, quae pietatem aliquo pacto non saperent, constantissime rejiceret; nihil digna putans religiosi viri conatibus, nisi quae tenderent in animorum emolumentum. Praecipuum verò commissum illi fuit negotium a Pontifice Mexicano, et ipsi subditis Canonicis, et urbe Mexico, ut etiam a Vallisoletano, et caeteris Novae Hispaniae Pontificibus, et Sacerdotum Collegiis, et civitatibus universis; ut electio Mariae Virginis Guadalupanae in primam Regni Mexicani Patronam, Romanae Sedis auctoritate sanciretur; et magnificum Templum eidem Deiparae Guadalupii consecratum tribus ab Urbe milliaribus, novis privilegiis insigniretur. Ita Lopezius Mexico profectus est, non unius Provinciae Jesuitarum, sed Pontificum omnium Ecclesiae Mexicanae, atque universorum ordinum Legatus ad summum Christi Vicarium constitu-

tus,

tus, gestientibus, et exultantibus cunctis, qui votis publicis Numen adprecabantur, et secundum legationis eventum a viri efficacia, et auctoritate praesagiebant. Prospera usus est navigatione in Hispaniam, et ad Socios Baeticos primum divertens, magnum sibi apud eos nomen et ingenii praecelsi, et urbanae consuetudinis, et religiosae honestatis comparavit. Inde Matritum contendit, ubi a negotiorum copia diutine commorari coactus est; quo sane tempore sponte illi oblata est occasio, saepius, atque intime agendi cum Francisco Rabago, qui erat ea tempestate a sacris confessionibus Ferdinando Borbonio, Hispaniarum Regi, et inter primos occupabat locum in supremo Fidei Censorum Tribunali. Et Rabagus quidem ingentem Lopezii animum, ipsiusque mentis celsitudinem demiratus est: quocirca collatis cum eo consiliis de gravissimis rebus, nunquam non invenit hominem plenum doctrina, matura Sapientia, omnigena eruditione, probatissimo judicio, et qui omnino nesciebat assentandi artes; eaque propter, auditis Lopezii rationibus, non semel dicitur in rebus momenti maximi consilium immutasse. Atque eadem hominis existimatio inolevit per omnes Hispaniae Socios, apud quos paulo diuturniorem fecit stationem; Aragonios praesertim ad Socios et communem benevolentiam sibi excitavit, et amicitiam inivit cum viris primae notae tum a Dignitate, tum a doctrina: hos inter numerare licet Codornivium, et Fluviaum; quorum nuda referre nomina, in-

star

star praeconii quidem est. Eosdem, quos ab Hispanis, honores habuit ab Sociis Gallis, atque Italis, quos in peregrinatione lustravit: ubilibet enim perveniret, urbanitas ejus nihil arte quaesita, nihil compta delicatulis pigmentis, ut etiam species decore affabilis, alliciebat primum omnes; quos inde admiratione defigebat sincerus ipsius amor erga Socios, cujuslibet essent aut gentis, aut gradus, eruditissima colloquia, et eximia scientia Institutorum Societatis. Et certe nullibi valedicebat Sociis, quin fere cautio ab illo exigeretur, ut regressurus in patriam, per eadem Collegia transiret.

Romam tandem ingressus, inter plura sibi commissa primas curae partes dedit, pedes deosculandi supremi Pontificis Lambertini, qui ut Maximus erat Dignitate, ita et doctrinae fama praeclarissimus. Hunc sapientem Pontificem alloqui saepius, et longiuscule nactus est postulatorum occasione, quorum Orator venerat a Novohispanis designatus. Et Lambertinus quidem dignatus est hominem magnis benevolentiae significationibus; quin imo fertur imperasse, Lopezio ad se accedenti promptum patere aditum, nuntio vix praemisso. Quidquid de hoc fuerit honore, liquidum tamen est, illustrem hunc Pontificem identidem cum Lopezio protraxisse sermones, pluraque ab illo sciscitatum esse curiositate digna sapientis de remotis illis Novi Orbis incolis; et mire delectatum in audiendo, quo fervore cultum Numini praestarent indigenae; quibus moribus viverent, quibus legibus

gibus regerentur, quae gentis industria, quae soli fertilitas, quae coeli salubritas. Et cum is fuisset Lopezius hactenus, qui magnam Novae Hispaniae partem philosophicis oculis lustraverat, plura de istiusmodi legerat, et omnia sciendi cupidus, remota investigaverat; scite, sincere, copiose ad interrogata quaelibet respondebat. Hinc factum est, ut magis, magisque se se insinuaverit in benevolum Pontificis animum; et cum innumerabilia postulaverit tum in commune Mexicani regni bonum, tum in privatorum animi emolumentum, omnia quidem abunde obtinuerit. Supplicem illi obtulit libellum, Romae tunc typis editum, et post annos fere triginta Ferrariae denuo vulgatum; in quo ut mirifica enitet sinceritas in rei enarratione, ita et ferventissimum studium Oratoris in Mariam Guadalupanam. Ibi quidem nullis verborum ambagibus expedite refert Marianum ostentum, cum se Virgo manifestavit beatissimo indigenae Joanni Didaco, cujus in vilissimo palliolo compositis ad miraculum hiberno tempore floribus, quos legationis testes ad Mexicanum Pontificem deferret, aedificari sibi templum in Tepejaco monte imperavit: pro qua veritate confirmanda nulli pepercit diligentiae Lopezius, in Vaticano, et Mexicano tabulariis immenso sudore, atque efficacia evolvendis. Libellum claudebat supplicatio, Pontificum, et Novae Hispaniae totius nomine indicta, de Guadalupanae Patronatu; quam supplicationem sequebatur peculiaris ordo Missae, ac precatio-

num, quas ad Virginis ejusdem solemnia Sacerdotes ibi gentium persolverent. Placuere Pontifici postulata, et elegans postulantis modestia: proinde nihil gravatus est praedicto Patronatui suam auctoritatem apponere; plenam culparum, et poenarum remissionem impertire, iis profuturam, qui certis diebus ad singulos annos primam Mexici Patronam in suo Templo visitarent; aliisque amplissimis privilegiis ex Ecclesiae thesauro magnificas ejusdem Aedes insignire. Quo tempore supplicem libellum, pium etiam donum obtulit Lambertino Lopezius, Imaginem pulcherrimam Mariae Guadalupanae, nihil magnitudine discrepantem ab exemplari, quod in pallio indigenae, postquam decidere memorati flores, fertur divinitus comparuisse. Ibat donum marginatum pretioso ligno ex arbore, quae inter exquisita est Novi Orbis, et appellatur *Camotus*; in quatuor vero angulis affabre argento elaboratum. Manum dederat imagini Michael Cabrera, ut pro nostra aetate, Apelles Mexicanus. Hanc imaginem Romae vidimus maxima cum voluptate, in templo Monialium Salesianarum publicae venerationi ab eodem Benedicto propositam. Ejusdem Virginis pietatem inculcaturus Lopezius, praelis exsuscitavit perveterem narrationem, quam Romae invenit, de mira Guadalupanae manifestatione in Mexicanis. Hoc eodem pietatis nomine, consecrari excogitavit cerea coelestis Agni amuleta, quibus in parte adversa obsignaretur Guadalupana. Rem detulit ad Pontificem; qui cum

audi-

audiret ingentem consecrandorum numerum ab homine postulatum, renuebat quidem, id causatus, a magna copia ejusmodi sacris imminui reverentiam, et se cavere admodum, ne porcis mitteret margaritas. Cui Lopezius; *Equidem, Beatissime Pater, quidquid alibi fuerit, Mexicanorum causam ago, et nullo mendacii periculo testor, in illa Orbis parte maximam iis amuletis venerationem praestari: nam et in aris collocantur; et pia Matronarum ornamento sunt, quarum e collo pendent thecis aureis, aut argenteis inclusa; et nunquam, nisi ab Sacerdote, nuda hominis manu contingunţur.* Commovit Pontificis animum illa Novi Orbis religio; quam ut foveret, lubentissime se praestitit orantis voluntati. Haec hominis facilitas ad justa quaevis postulata, et peculiaris benevolentia, qua se Romae commorantem dignatus est, ita Lopezium devinxerunt; ut ab ejus mente nunquam exciderit Benedictus XIV, cujus eximias dotes praedicavit ad postremam usque senectutem, et pro cujus beata aeternitate nihil interrupte Superos precabatur.

Ab ingenti negotiorum copia cum pluribus etiam Purpuratis, aliisque Romanae Regiae Proceribus agere coactus est; testis vero adhuc superest, tunc temporis Romae degens, a quo post longam annorum seriem intelleximus, a nemine propemodum Lopezium exire, quem ingenii sui, et urbanitatis admiratione non defigeret. Habuit autem inter externos benevolos quam charissimum Ricchinium, Sacri Palatii Ma-

gistrum, praeclarum doctrina, et auctoritate virum ex illustri Dominicanorum familia; quem et assiduus conveniebat, et ad se crebritate pari accedentem, nullis non datis invicem sincerae amicitiae significationibus, excipiebat. Ignatius Vicecomes, qui, ratione Supremi Magistratus in Societate, saepe saepius audire debuit Lopezium, et propterea ipsius animi dotes intime rimatus est; de hujusce Procuratoris Mexicani Sapientia, et praecelsa indole ingentem opinionem concepit; tum praesertim, cum, oblata occasione, tria ipsum exarasse volumina intellexit de Theologia, quam appellamus Dogmaticam: quae sane volumina summis postmodum laudibus ab Ignatio ipso, aliisque justis aestimatoribus praedicata fuere, utpote quae sublimissima doctrina constabant. Ab hoc ejus opere, ut etiam a profunda eruditione, rectissimoque judicio in familiaribus colloquiis, cum potissimum Divina Scientia agitaretur; illud sibi comparavit acutissimi, et solidissimi Theologi nomen, quod, illo ad postremos canos deveniente, praeclare confirmatum videbimus. Eidem Societatis Moderatori dicatam voluit Lopezius Topographicam tabulam, quam romanis praelis excudit; in qua tabula Societatis Mexicanae status accuratione quammaxima exponebatur. Ejusmodi vero ratio fuit hanc tabulam conficiendi. Erant in Mexicana Provincia Sociorum domus ultra triginta; externorum adolescentium admodum undecim seminaria, quae Socii administrabant; vici remotissimi amplius

cen-

centum, in quibus totidem Socii sacrorum Ministri ad Paganos et in fide recentes numerabantur. Hic autem Provinciae status immensis erat distractus terminis: Mexico enim, Provinciae capite, et quasi centro, distat Durangus inter Boream, et Occidentem Solem nongentis milliaribus; ad latus ferme oppositum Guatimala mille circiter; ad Orientem Emerita nongentis; Havana mille, et ducentis: loca vero illa remota, in quibus, demonstratum est, Sacra Socios administrasse, trans Durangum erant, quorum pars major intervallo dietum ab hac urbe non modico. Haec sane locorum distantia supremo Provinciae Moderatori difficilem administrationem reddebat: sunt enim subitarii casus, in quibus a longinquo si speres remedium, ibit res in deterius. Quod si Collegiorum Rectores, necessitate compulsi, decernerent, quid faciendum; omnino timide agebant, quod in aliena messe laborarent. Praeterea debebantur ingentia viatica pro longissimis itineribus, quae certe constabant maximo iter agentis incommodo, et sumptu Collegiorum. Postremo, designatus quicumque Socius ad remotissimos illos terminos, interdum ultra bimensem cessabat ab opera, quae saluti animorum utilis habebatur. Eaque propter in Sociorum Conventu, qui Procuratorem creavit Lopezium, visum est aequitati consentaneum, et tandem matura deliberatione, ac probato consilio constitutum, ab summo Societatis Magistratu postulari, ut in duas Mexicana Provin-

cia scinderetur. Trifariam autem id posse fieri excogitatum est: vel rescinderentur transmarina Collegia, quorum sors una esset cum Guatimalensi, et Chiapensi, enormiter distantibus Mexico; et prima Novae Provinciae Sedes ad Havanenses poneretur: vel haec esset in Angelopolitanis, cui subiicerentur hactenus praedicta cum Veraecrucensi, et Guaxachiensi: vel his omnibus Mexico relictis, nova sedes ad Zacatecos figeretur; cujus Provinciae pars essent maxima, qui facem Evangelicam annuntiantes gentibus desudabant. Profecto quidquid ex propositis eligeretur, non omnino tollebat, verum aliquo pacto difficultates enuntiatas levabat. Et hoc postremum consilium placuisse Vicecomiti ferebatur, qui tabulam immensae Provinciae attente considerans, et Lopezii postulantis efficaci eloquentia persuasus, Mexicani Conventus petitionem auctoritate sua confirmavit. Sed ante Lopezii reditum ad Mexicanos, mors occupavit Vicecomitem; et novis coortis difficultatibus, ad extremum sui fatum Provincia fuit indivisa. Similem habuit sortem novum excitandum Collegium, quod ab eodem Societatis Magistratu, repugnantibus nonnullis, Lopezius impetrarat.

Negotiis omnibus compositis, quae sibi Romae procuranda Mexicani mandaverant, postquam oculis incredibiliter curiosis, qui apprime decent Sapientem, lustravit, et attente perpendit, quidquid praestantius est in illa urbe, amplissimo mundi capite, sive sacra essent, sive pro-

ve profana monumenta; in benevolentiae significationibus ab externis, et a domesticis, ab eo praesertim, qui clavum universae Societatis regebat, iter in Provinciam adornavit. In reditu ad Hispanos, Barcinone typis committi curavit scripta quaedam Sociorum aliquot, qui remotis Indigenis in Nova Hispania Christi nomen annuntiaverant; quos inscribi voluit Sudores Apostolicos. Eisdem praelis tradidit precationes quasdam in honorem Divi Ignatii pro toto Quintili mense; quas precationes, ut Lojolam potissimo cultu prosequebatur, ab Italo in Hispanum sermonem ipse verterat. Confectis etiam Matriti rebus omnibus, ad portum Mnestei congregavit Socios, quos ab Italia, Germania, et Hispania, in Provinciam deferret; in quibus erat lectissima Germanorum manus, qui dotibus animi, et corporis praestantes, Novohispanis charissimi fuerunt, et Sonorenses, Cinalovios, Californios in sudore vultus excoluerunt. Et jam in portu Gaditano navigandi opportunitatem Lopezius expectabat, cum, allato nuntio de Vicecomitis obitu, jure Procuratorum a transmarinis Provinciis vocatus fuit ad Generalia comitia, pro novo creando Societatis universae Praeposito. Neque vero censuit opportunum, ut Comitiis interesset, Socios comitatus deserere, quorum erat Superior, et qui jam in procinctu paratam habebant navigationem. Ergo suo tempore vela solvens, in Novam Hispaniam transducitur; et post terrestris peregrinationis diem decimum, accedenti ad vi-

cum, cui nomen a Guadalupana, honoris ergo venit obviam universum Collegium Canonicorum, qui sacra faciunt in electae Patronae Templo; et nullis non signis grati animi salutatum, recta intulerunt in Marianas Aedes; ubi Lopezius tenerrimam effudit pietatem in Deiparam, hoc maxime titulo beneficam Novohispanorum Matrem mirifice demonstratam; cujus Patronatum, tot jam annis Mexici percupitum, ac tantis legationibus flagitatum, unus ipse, felicissimam adhibens efficaciam, obtinuerat. Et quoniam loquimur de honoribus collatis Lopezio intranti Guadalupium; obiter narrare solemnia licebit, quae Patronatus occasione in illis Aedibus, et in amplissima Novae Hispaniae Sede celebrata sunt. Post modicum temporis ab Lopezii reditu indicitur Mexici tridui supplicatio; pro quibus diebus pompa solemnis instituitur; coetus omnium ordinum convocantur; tota civitas aulaeis, et serica supellectili ornatur; tormentorum bellicorum boatus, atque aera campana sine fine circumsonant; finitima oppida Mexicum convenientia celebritatem adaugent; populus in laetitia gestit, exultat, plaudit, Guadalupanam implorat; nocturnae faces ad fenestras omnes, ad parietes, ad plateas, ad domorum ambulacra ventis pervia, lumen Solis aemulantur; excitatae ad ingentem altitudinem moles miro artificio illuminantur, ab illisque ignes missiles exploduntur; inter haec autem omnia Lopezii nomen auditur, ejusque accurata sedulitas in expediendo tanti momenti nego-

tio

tio a pluribus praedicatur. Guadalupii vero, quod oppidum alibi demonstravimus ad tria esse ab urbe milliaria, praeter caeteras laetitiae significationes, tres Oratores, inter primos doctrina, et sacra eloquentia, suo singulis designato die, Patronam laudibus extulerunt. Et statim pro primo die Lopezius Orator dictus est: Collegium enim Canonicorum, cujus erat statuere honores, aequum esse judicavit, ut qui tantopere pro Guadalupanae religione disseminanda, et Patronatu obtinendo adlaboraverat; pro solemni ejusdem cultu, et publica celebritate praecipuus Orator compareret. Ac nihil desideratum est in sacra Lopezii oratione ad promovendum in Mexicanis Guadalupanae studium, fiduciam, amorem; hominis vero modesta temperantia fraudavit eorum expectationem, qui ab ejus ore audire crediderant, quanta ipse fecerat, et quantum insudaverat tum Romae, tum Matriti, ut optata solemnitas Patronatus perduceretur ad exitum: de his enim oppido raptim, et tanquam sua nihil attinerent. Iidem Guadalupani Collegii Sacerdotes dignati sunt Lopezium imagine, quae tanti hominis memoriam, et obsequia Novae Hispaniae praestita perpetuarent: in ipsa enim aede Guadalupana juxta Sacrarium, posteri ut intelligerent, affixa parieti fuit tabula, in qua magnifice sedet Pontifex Lambertinus, ad cujus pedes Lopezius fideliter expressus, offert libellum supplicem, Guadalupani Patronatus Orator a Mexicanis.

Lopezio Mexicum Roma venienti, summo urba-

urbanorum Magistratuum, et Procerum consensu gratiarum actiones attributae sunt pro felicissimo legationis exitu. Amplissimis vero grati animi, et benevolentiae signis illum decoravit Mexicanus Pontifex Emmanuel Rubius, qui deinceps conjunctissimam iniit cum ipso consuetudinem, et in jurisdictionis regimine persaepe ab eo consilium exquirebat. Neque vero haec publica mandata, quae memoravimus hactenus, diligentiam Procuratoris exhauserant; nec minori certe fuerat sedulitate in privatorum negotiis, quam in iis, quae boni communis erant, procurandis. Cum prope innumera fuissent, ut supra demonstravimus, quae ipsius efficaciae commissa sunt; omnino fuit mirum, quanta omnibus accuratione satisfecerit, et qua fidelitate rationes accepti, et expensi, unicuique reddiderit: ut plane videretur, nulla esse tanta negotia, quae in hominis illius admodum capaci mente commode contineri non possent. Profecto a nemine non fuit laudatus incredibilis efficaciae, mentisque in paucis impigrae, ac strenuae commendatione. Inter haec renuntiatus fuit, qui triennium totum Pro Rectore administraret Divorum Petri, et Pauli Collegium, qui Magistratus erat inter eos primi nominis in Mexicana Provincia. Sane videbatur a praeclarissimis hactenus gestis, et religiosa morum dignitate merito extolli debuisse Lopezium ad prima munera; neque vero dissimulabimus, ut historiae fides postulat, non omnibus absolutum numeris fuisse in gubernando: nec enim erat

omni-

omnino sui potens ab iracundia, qua facile inflammabatur; nec a supervacaneis imperatis, quae solito graviora faciunt onera subditis, temperare intellexit. Caetera quidem conspicuis enituit dotibus in obeundo Magistratu. Agebat cum omnibus consuetudine admodum civili; nec ratione muneris aut inflari, aut minores contemnere, aut induere supercilium visus est. Ingenua, et casta sinceritas inter primas erat Lopezii virtutes, quam nulla unquam ratione aut subdolis verbis, aut fraudulentis technis corrupit. Amabat inprimis nitidissimam Collegii munditiem; et quam in cubiculi supellectili, et religioso sui corporis cultu sanctissime custodiebat, contemptam a subditis videre non poterat: nec unquam impune illis erat, qui vel aetatis, vel educationis vitio, vel ingenita oscitantia in ejusmodi civilem virtutem peccavissent. Atrium pro grammaticis gymnasiis, quod vetustate, ac negligentia, tristissimam faciem induerat; fulciri, expoliri, dealbari, atque ornari, non quidem magnifice, sed quantum religiosa mundities patitur, imperavit: ut etiam novas apponi cathedras Magistris, auditoribus abacos, et subsellia, quae decerent ingenuos adolescentes, ipsosque ad loci reverentiam ipsa novitate invitarent. Totis conatibus adlaboravit ad litterarum studium in juventute tum externa, tum domestica promovendum. Cum iis, qui grammaticam tradebant, maximi momenti negotium esset, puerorum mentes, molles adhuc, et flexibiles, ad litterarum amorem, animos-

mosque ad rectae pietatis normam conformare; codicem elaboravit Lopezius, cujus exemplum tradidit unicuilibet e Magistris, ut in docendo, se gererent ad ea praescripta, quae Lojolae mentem enucleatius explanabant: in quo sane codice mire digessit omnia Magisterii jura, et officia debita pueris, qui tanquam tenellae arbores committuntur Magistris, irrigandae salutaribus consiliorum aquis; novella Reipublicae germina, quae adolescent in flores, et fructus olim patriae charos, ad efficaciae mensuram, quam cultores adhibuerint: nec omittebat rationem insinuandi se se in illorum animos comitate, atque auctoritate. Magni quidem commendabat, puerorum id aetatis palatum ad litterarium saporem adornare; potissimum vero inculcabat ea, quae institutionis Christianae sunt; probe sciens, et opportune commemorans, id voluisse Lojolam, ut litterae tanquam esca essent, qua caperentur homines ad virtutem. Invigilabat ad sapientiae terminos, ne suae gubernationis tempore jacturam faceret domestica disciplina; et certe praeibat exemplo ad consueta pietatis exercitia. Cubiculi solitudinem colebat, quoties non evocarent aut ministeria Societatis, aut officia praestanda Pontifici, vel aliis ex urbis Optimatibus, qui consilium, et necessitudinem hominis, noti maxime fama Sapientiae, certatim desiderabant. Effatis optimis informabat Socios juvenes ad omnia munera, quae possent illis in Societate contingere: quam Societatem amare, ipsique totis viri-

viribus inservire, ut sibi scopum praefixerat; ita subditos cohortabatur, ut nunquam ab hac meta verterent oculos, quae tanti erat ad propositae vitae sanctimoniam assequendam. Qua de re mirabilem effundebat facundiam; et sane patuit longissimo suae vitae intervallo, hunc Societatis amorem esse, qui verba ejus, facta, et cogitata dirigebat. Non mediocri cura intendebat, ut sui muneris partibus unusquisque satisfaceret; quas ut implerent novi Sacerdotes, in Missae sacrificio ad omnes Ecclesiae ritus peragendo, insudabat ipse per se toto anno, priusquam sacris initiarentur: bis enim in hebdomada convocabat eos, qui proximo anno cooptandi erant ad Sacerdotes, et delatos in sacrarium domesticum ipse minutatim erudiebat de cerimoniis ab Ecclesia sanctissime praefinitis ad Divinam hostiam immolandam: neque vero praecepta duntaxat verbis monstrabat, sed usu ipso edocebat, curabatque, ut intentissimo animo singula inspicerent, nec vel minimam cerimoniam ab Ecclesia praescriptam ignorarent. *Nimirum*, ajebat, *quales esse Ministri ad Sacram Aram in his tantae dignitatis primordiis assueveritis, tales eritis, dum vita supersit; neque senes curanda, et aestimanda judicabitis, quae florentes aetate contempseritis*. Ipse quidem tanta erat accuratione in his Ecclesiae ritibus custodiendis, ut quotannis de more secedens pro dierum octo sacris meditationibus, potissimo conatu investigaret, num aliqua id generis labes in se sacrificantem irrepsisset; neque malum

lum sinebat inveterascere, siquod erratum invenerat.

Hac Mexicana gubernatione perfunctus, Angelopolim evocatur, Moderator etiam in Sancti Spiritus Collegio, quod erat pariter inter primi nominis Magistratus. Post hujus triennium aequa laude confectum, dicitur Praefectus domus eidem Collegio adnexae, quae saepius in anno patebat Angelopolitanis, qui ex Lojolae instituto Divinis meditationibus excoli postulabant: quae Praefectura non nisi summis viris, et his quidem senibus experientia consummatis adsignabatur. In ejus muneris concionibus eloquentia utebatur facili, et fere quotidiana; sed quae motus animi excitabat, et rem christianam nativis coloribus describebat. Et hic primum ab ingenti negotiorum copia requiescere paululum homo coepit, aetatis annum cum jam ageret sexagesimum quintum; quorum fere viginti quinque in litteris, artibusque tradendis collocaverat, caeteros vel in Sociorum gubernatione, vel in Sodalitatum Praefectura, vel in laboriosissima Procuratione. Nihil hac requie jucundius contingere poterat viro constitutionis admodum robustae, mentisque semper avidae plura sciendi, nec unquam exsaturatae novis cognitionibus, quas in se ab libris quotidie derivabat. In iis ergo, quas vitae suae in Mexicanis ferias appellare licebit, Rituale opusculum typis dedit, probatissimo judicio ab se scriptum, et multorum laudibus praedicatum; in quo scite dilucidavit, atque ordine congessit, quae

prae-

praefinita sunt pro sacris administrandis; et nonnullas cerimonias, quae ibi gentium obsoleverant, et quarum negligentia cordi sibi erat, ad romanum morem revocare conatus est. Quadriennium in iis exegerat, cum extra patrium solum undeseptuagesimo aetatis anno eliminatur; qui vero habuerat a natura ingentem animam, et hanc perenni religionis usu roboraverat, promptissime, ac tacitus obedivit; et in calamitatis auxilium secum ferens excellentiam ingenii sui, copiamque cognitionum omnigenae litteraturae, non permisit, Christianum philosophum laetitia in adversis vinci a Metellis, et Rutiliis, qui constituti extra patriam, eamque Romam, solatium in charis litteris invenerunt. Lopezius per ingentia, et diuturna viarum incommoda, per maris tempestates, per hominum strepitus, litteris utebatur tam familiaribus, quasi secum solus ageret in cubiculi silentio; et quae ipsi fuerant ad hanc aetatem individuae comites, in hoc difficillimo vitae tractu suavissimum fuere oblectamentum. Longissimo tandem itinere Bononiam in Aemilia cum pervenisset, annum fere commoratus est in ea domo, quam unam habere Bononiae licuit eo tempore Sociis Mexicanis; et in quam Provinciae Moderator eo nomine Lopezium appellavit, ut qui negotiorum usu edoctus erat, et jampridem Italiam noverat; esset sibi a consiliis, in illa quasi infantia Mexicanorum apud Italos regenda, et constituenda. Post aliquot vero menses, adaucto Sociorum ab Hispania venientium numero,

pro-

pro illorum diversorio magnificum suburbanum conducitur, cui nomen Tusculanum, paucis a Bononia milliaribus; et Lopezius Rector immittitur. Quae sane Sociorum commoratio a pluribus incommodis ultra biennium non duravit; et Lopezius designatur pro domus alterius gubernatione, quam Herculisiam nuncupant: quae domus, tametsi erat extra urbem, non tamen aberat longissimo intervallo ad coemenda cibaria. Sed ab hac etiam, nescio qua de causa, cum post annum Socii decederent, et Lopezius aetatis annum incepisset quintum et septuagesimum; cessavit tandem a muneribus, et lubentissime concedente summo Provinciae Rectore, Ferrariam elegit, ubi reliquum aevi spatium, solutus humanis curis, consumeret.

Jucundissimus fuit hic secessus homini, nulla jam temporis mensura committenti se doctrinae, ac litteris, quas Romanus Orator perfugium optimum appellabat: quae sane litterae ut Lopezii adolescentiam aluerant, et comites peregrinanti se dederant, ita et senectutem maxime oblectaverunt. Sociis Aragoniis, quibus charissimum olim fuisse demonstravimus, inprimis etiam acceptus Ferrariae fuit; et cum eorum pluribus amicitias, quas inierat feliciori tempore, constantissime coluit. Nec omitendum ducimus, invaluisse inter nonnullos, qui justi meritum aestimare intellexerunt; Lopezum esse in suis civibus ab sapientia praestantissimum. Complures erant, qui conclusum in cubiculo conveniebant hoc duntaxat nomine, ut de

ut de rebus vel antiquis, vel recentibus dissetentem, historias omnium aetatum fideliter narrantem, ad dubia quaelibet respondentem, vel ageretur de politioribus litteris, vel de majoribus artibus, vel de morum disciplina, vel de remoti, vel de praesentis 'aevi auctoribus, nunquam non memorem, atque in omnibus eruditissimum senem inaudirent. Ad caeteras enim viri dotes, méntis ejus praestantem celsitudinem cumulabat miranda omnino memoriae facilitas, et mirabilior tenacitas: quoniam quae plura legerat adolescens, ne inclinata quidem aetas obliteravit. Quae supra fuit a nobis demonstrata docilitas ejus in Gongorae scriptis memoriae mandandis, non certe fuisset instar portenti, nisi ad ultimos canos insculpta remansisent haec scripta, quorum longos tractus memoriter interdum recitabat, vel oblectamenti ergo, vel etiam ut auctorem ab injuriis perperam attributis vindicaret. Toto diuturnae suae vitae spatio incredibiliter indefessus dies, noctesque inhaeserat libris; et omnia legendi, et nova semper condiscendi percupidus, ubi ubi commoratus fuerat, bibliothecas exhauserat, tabularia volverat; et jucundae voluptatis erat audire hominem in doctissimo senio, qui pro re nata, expedite, ac distribute recensebat tum res ipsas, tum minutissima rerum adjuncta, quae legerat ante plures annos in Matritensibus, in Romanis, in Mexicanis tabulariis: praecipue vero publicum Veracrucense ita mente retinebat, ut, cum Regia decreta prope innumera

legisset, quae ab ejus urbis constitutione lata fuerant, nullum penitus in ipsius memoria non manebat indelebile: ut sine erroris formidine consuleretur tanquam oraculum, quoties dubium erat, num Regum Hispanorum lex ulla in eo tabulario reperiretur. Haec hominis in postrema senecta eruditio, et ante multos annos comparata fama, plures ipsum salutaturos, ac demiraturos trahebat; traxitque illustri nomine virum, olim Pontifici Lambertino charissimum, Emmanuelem Acebedum, ingenua sinceritate Lusitanum, cujus litterarium meritum, nemo unus est, quin audierit. Et hic est, qui cum Romae olim novisset, ac suspexisset hominem, nihil dubitat palam asserere, Lopezium fuisse praestantem Theologum, certe inter primos, quos nostro saeculo Romani Socii conspexerant. Equidem nihil dubito, Sapientem laudatorem, cum id asserat, Mexicanum cum Mexicanis conferre; alioqui nimis exaggeraret ab amore, ac veneratione, qua virum prosequebatur. Verum id etiam non modica Lopezio laus est: cum in Procuratorio munere decessorem habuerit Xaverium Pazium, quem Supremus tunc Societatis Magistratus miris honoribus Theologiae commendatione decoravit; et post Lopezium Romani viderint Franciscum Zeballium, quem quot noverunt Sapientes, a Theologicis cognitionibus clarissimum praedicarunt. Hoc autem, idem testis asseverat, Socios Romanos potissimum demiratos esse, quod in nullius auctoris, aut libri mentionem inciderent

fami-

familiaria colloquia, sive ex antiquis esset, sive ex recentioribus, qui Lopezii notitiam effugisset, ac de quo judicium non ferret spectatissima rectitudine. Quae sane rectitudo in pronuntianda censura, cum praesertim ageretur de rebus Theologicis, utique fuit in illo mirabilis, et quae satis manifestabat, quam legeret intentus, et quanta mentis prudentia. Quin et hujus opinionis, quam sibi Theologiae nomine Romae comparaverat, luculentum habuimus testimonium in binis litteris, quas Provinciae Mexicanae Praesidi, mandavit, qui Societatem tum regebat; in quibus litteris hic imperabat, ut gratiae agerentur quamamplissimae Lopezio tum pro ipsius in Societatem amore, tot operibus olim significato; tum etiam pro maximi momenti officiis, quae suis aureis de Theologia Dogmatica voluminibus, adhuc Romae ineditis, Ecclesiae universae in quadam gravissima causa praestiterat. Inter hos plausus, qui meriti fructus erant, aetatis annum fere impleverat octogesimum quartum, non modice quidem corpore vexatus postremis temporibus, mente tamen immuni prorsus ab incommodis, quibus affecti senes id aetatis plerunque desipiunt, ac repuerascunt. Sed urget senium, languescunt vires; alvi fluxio supervenit; sacris religionibus munitur; ab Alexandro Mattejo, meritissimo Ecclesiae Purpurato, Ferrariae Pontifice, morti proximus visitatur; vitam claudit aeque laboribus, atque honoribus plenam postridie Nonas Januarias, anno 1783; ad Divae Franciscae

Romanae paroeciales Aedes tumulatum Mexicani desideramus.

Plenitudini corporis, et staturae propemodum maximae adjuncta oris dignitas, vultus aequabilitas, incessus gravitas, reverentiam conciliabant Joanni Francisco Lopezio: magnam vitae partem transegit nullis omnino dentibus, quos omnes Emeritae amisit, ab studii nunquam intermissa, et maxima contentione sub coelo calidissimo. Quod fuerit indole ad iracundiam pronus, virtutum multitudine abunde temperabatur: erat enim apprime moribus elegans; in consuetudine affabilis; in familiaribus colloquiis festive urbanus; amicitiae, quam semel inierat, constantissimus cultor; ad res aggrediendas magnanimus; boni propositi tenax; misericordia generosus; patriae civis optimus; popularibus benevolus, Doctor, consiliarius, defensor; erga Deum autem, Superos, et Dei vicem in terris quoquomodo gerentes, maxime pius; ex his demum summis fuit hominibus, quos, pulchre describit Tullius, cum in Tusculanis ait: *Quae est melior in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur?* Utinam et huic similes quamplurimi enascerentur!

JOSE-

JOSEPHUS URBIOLA.

Peraltae, quod oppidum est in Vasconibus, postridie Nonas Majas, anno 1714. Josephus Urbiola natus est, nomen charissimum in Mexicana Societate propter eximiam ejus animi demissionem, aequabilem mansuetudinem, et certissimam in gubernando prudentiam. Anno aetatis expleto vigesimo primo, pridie Idus Majas, disciplinam Societatis Matriti arripuit; et quam continuo vitam, caelestibus dignam, in tirocinio instituit, nihil immutatam ad postremos canos deduxit. Biennium probatus, et humanioribus litteris instructus, Murciam immittitur ad liberales artes attingendas, quarum curricula exegit, non levi comparato sibi nomine in philosophica, et theologica laude; neque vero minimum eo tempore deficiens a coepto pietatis ardore. Ad sacrorum evectus dignitatem, peregrinationis desiderium concepit, in aliquam e remotis Provinciis disseminaturus Evangelium. Quod desiderium cum summo Societatis Magistratui litteris exposuisset, ab hoc Mexicum destinatus est; atque anno 1746. mari se dedit Gadibus, bello tum fervente inter Hispanos, et Anglos. Ab his in navigatione interceptus, et Jamaicam delatus, insulam in sinu Mexicano, duravit ad menses aliquot in captivitatis incommodis; quae

sane non levia fuere tum ab loci angustiis, tum ab ardentissimo caelo, cui Josephus non assueverat. Sed nihil haec incommoda pacem hominis deturbabant; qui ubi ubi perduceretur, a Deo se perduci cogitabat, et Deum in solitudine mentis adorabat. Solutus a captivitate, atque e vestigio vela solvens, Havanam tandem pervenit, Cubensis insulae portum percelebrem. Et hinc debuisset Urbiola rursus abire in comitatu Sociorum ab Hispanis in Mexicanos venientium; sed per eos dies vita functo Socio, qui grammaticam, et philosophicas artes publice tradere debuerat, successor ille dicitur a Josepho Maldonado, qui Veracruce Havanam venerat, in Mexicano Conventu designatus, ut Romam, et Matritum Procurator contenderet, atque insuper a Provinciae Magistratu decoratus munere, Collegium Havanense cum potestate lustrandi. Maldonadus enim ut audivit, Urbiolam meriti esse non vulgaris in palaestra litteraria, et paucorum dierum consuetudine maxime admiratus est consummatam ejusdem probitatem; omnino judicavit, nihil illi deesse ad munus quodlibet cum honore Provinciae capessendum. Atque ita quidem Urbiola Magister antea dictus, quam Mexici nosceretur, totos exeruit conatus in tradenda externis adolescentibus primum grammatica, inde philosophia; et plures ab ejus disciplina prodiere, qui postea fuerunt honori Magistro, et civitati ornamento.

Ab litteraria palaestra evocatus, in perpe-

tuo Magistratu vixit fere usque ad Societatis eversionem: primo enim renuntiatus est Sociorum Moderator in ejusdem insulae oppido, cui nomen Portus Principis; in quo portu Matrona fuit juxta pia, et illustrissima, Eusebia Ciriaca Varaona, quae Socios, nomine duntaxat sibi notos, tanto studio prosecuta est, ut adhuc puella teneris annis de condendo illis in patria Collegio fervidissime cogitaverit. Ac sane dimidiato fere saeculo, quod excurrit, cum illa ex aere suo contulisset unciales argenteos decem mille; Antonius Mugnozius, et Martinus Goenaga in oppido illo, civibus frequentissimo, Societatis domicilium inchoarunt; et sudoribus immensis in publicum bonum strenue vicerunt oppidanorum expectationem. Comes laborum, et domesticae disciplinae Rector eodem missus post paucum temporis Urbiola; nec diurnis defatigationibus, nec vigiliis, cum opus esset, parcebat, ut lucro animorum intenderet. Ut agebatur de fundamentis jaciendis pro nova hominum colonia, quorum esset institutum, et emendare civium mores, et restinguere vitia, et studium religionis exsuscitare; totis viribus adlaboravit novus Rector, ut qui ad idem opus, procedentibus annis, immitterentur, ferventissimi Apostolatus perfectam normam invenirent. Et demirati quidem incolae indefessam Urbiolae operam in concionibus, in sacrae paenitentiae ministerio, ad moerore oppressos, ad morti proximos; cumulatiores olim sibi augurabantur processus, cum, adauctis pecuniis pro majori alen-

do Sociorum numero, plures id generis cultores in eodem excolendo agro insudarent. Sed credebatur domicilium illud non diu futurum, quoniam inopia non modice premeretur; et certe a Provinciae Moderatore dissolvi, ac penitus extingui decretum est. Quare nihil cunctatus Urbiola profectionem adornat, quam tamen ut cives odorati sunt, occupare aggrediuntur, et domicilio custodiam apponunt; ne in Superioris jubentis obsequium clanculum se subduceret homo ille, quem et ab suavitate indolis, et a moribus urbanis, et ab insignibus pietatis exemplis, et a pluribus praestitis officiis, et a majoribus, quae sperabant in universorum emolumentum, quasi thesaurum publicum sibi esse custodiendum arbitrabantur. In portu cautum est imperio Magistratuum, ut volentem Urbiolam navigare, nemo conduceret: quod si ille domo pedem efferret vel pro concionibus, vel pro sacris confessionibus, vel amicum domi suae conveniret; duos habebat individuos comites, ab ipsis Magistratibus designatos, qui pone sequebantur quolibet euntem, et quorum haec erant urbana verba multis reverentiae signis admixta: *Idcirco te custodimus, ne bono tuae consuetudinis careamus*. Plures interea pollicitationes erant ab oppidanis de constituendis censibus, ut Socii commode alerentur: et Eusebia praesertim, cujus opera, et sumptibus, in patriam appellata, et invecta fuerat Societas, tantum precibus valuit apud nobilissimos cognatos, et alios ejus oppidi pecuniosos; ut tandem

reprae-

repraesentata fuerint uncialium argenteorum millia duo supra quinquaginta; quibus et Societas ibi coalescere potuit, et census haberi sufficientes in Sociorum alimoniam, et concinni Collegii aedificationem inchoari. Et ita quidem ad plures annos (quos novem circiter fuisse credimus) in eo loco Magistratum gessit Urbiola; et civium illorum voluntatem erga se, ac Socios omnes apprime munificam, tum pluribus grati animi significationibus, tum praesertim ingenti sudorum opera in aeternam ipsorum utilitatem rependit.

Magni ad eas gentes fuere luctus, cum ab illis translatus fuit ad Havanense Collegium gubernandum; ubi cum antea nota fuisset ejus egregia probitas, miris laetitiae signis excepere nunc cives in munere constitutum. Vigebat ibi maxime disciplina domestica, cujus fundamenta jecerant anno saeculi vertentis undevigesimo Petrus Altamiranus, et Josephus Castrocidus, illustres virtute in Mexicanis; qui Collegium illud ad primaevae Societatis normam instituerant. Profecto idoneus erat Urbiola, et omnino natus ad optima quaevis tuenda, et conservanda; qui Socios regebat ea vigilantia, et alacri strenuitate, ut nullam certe, ipso rem administrante, vel Societatis leges, vel collegii mores haberent jacturam; dummodo mores istos, quos ad rectam trutinam ponderabat, rationi consentaneos existimaret: quod si secus esset, non deficiebat vigore, ut alibi demonstrabimus; et nativae lenitati admiscebat integritatem, ad

pri-

prisca funditus evellenda, et nova in Dei gloriam substituenda. Quasi Collegii administratio nullum sibi onus importaret, ita paratus erat ad sacra ministeria vel domi, vel foris exercenda. Sacras orationes in templo dicendas, ex munere Sociis distribuebat; parem autem sibi portionem adjudicabat. In suis etiam erat partibus eos designare, qui ad externos moribundos contenderent, cum expiaturus crimina Sacerdos requirebatur; quod nisi Socius aliquis nomine peteretur, ipse sibi fere semper, et noctu praesertim, id oneris assumebat. Ad consolandos, erudiendos, et sacra poenitentia tergendos custodiarum animos, ad strenuam operam per omnia civitatis nosocomia, et ad postrema praestanda officia suspendio damnatis; lubentissime vices cum sibi subditis alternabat. In domestico templo reconciliandis Christo hominibus quotidię vacabat; ab esurialibus vero feriis ad mensem Junium, quo tempore praeceptum Ecclesiae quotannis urget ad sacrum tribunal accedendi; totas matutinas horas in hoc labore ponebat Urbiola, donec aut nullus esset, qui ejus opera uteretur; aut horae quadrante ante prandium, consuetum signum inaudiret, quo Socii omnes ad inquirendum in ipsorum conscientias vocabantur. In his erat religiosissimus homo, cum in novo calamitatis ordine demonstravit, quanto esset animi vigore ad quaelibet sive incommoda, sive pericula. Rursus per id temporis debacchante bello, Britannica classis imparatam Havanam obsidione cin-

cingit, ignivomis tormentis munitiones quatit, incendiarios globos in urbem jaculatur, omnia moerore, ac trepidatione complentur. In ipso rerum discrimine maxime enituit Urbiolae virtus, et actuosa in subitis efficacia: nam et occurrebat, qua poterat, ad extinguendos globos illos, qui sulphure, nitroque referti, a classe in urbem erumpebant; et oppidi Praefectum adiit, seque ac suos paratos prorsus ostendit, ut publica de causa laborantibus praesto sint, atque ad ejus Praefecti arbitrium in rebus omnibus opitulentur, ac ministrent. Gratias quidem egit Praefectus, qui nihilo tamen minus hominis operam adhibendam non credidit in oppidi defensione, quod pauca mora tradendum erat oppugnantibus. Urbiola vero et quibus diebus, obsidionis tempore, duravit in periculo; et cum, imperante Magistratu, cives omnes militiae non adscripti, alio recesserunt; et post reditum in urbem vi captam a Britannis, eximia usus est diligentia, et strenuitate, nihilque infectum reliquit, quod animorum, aut corporum bono profuturum intelligeret. Adeo quidem ut post menses aliquot gratiae illi relatae fuerint, ejusque navitas, et laboriosissima industria Regio nomine commendata.

Elapso gubernationis Havanensis triennio, eodem functurus munere Veramcrucem appellatur. Et tum primum, anno jam aetatis currente quinquagesimo, Mexicani regni continentem ingressus est, sane desideratus ab Sociis, quibus illum fama descripserat virum animi dotibus apprime

prime singularem, et omnino meritum, qui prima Provinciae munera occuparet. Veracrucensibus externis fuit oppido acceptus ab suavitate indolis, moribus urbanissimis, et opera in sacris ministeriis nihil absimili, quam ad insulanos posuerat; Socii vero praedicabant in primis eximiam hominis mansuetudinem, et virtutum universitatem, quae in ejus administratione, suo quaevis tempore, certatim excellebant. Die, noctuque invigilabat, ne ab Societatis legum observantia deficerent subditi; neve in religiosam morum dignitatem quidpiam admitteretur. Toto ejus Magistratus tempore nemini licuit vel semel apud externos prandere, tametsi essent illi et Societatis amantissimi, et in urbe optimates, et vitae probitate clarissimi: nullibi enim credebat religioso viro graviora imminere pericula, quam ad epulares accubationes, ubi solet liberior esse locus intemperantiae. Sub idem tempus a Francisco Zevallio, Provinciae Moderatore, Urbiola missus est Cordubam, ad conciliandam pacificationem inter viros quosdam ibi gentium primarios, quorum dissidia coorta fuerant occasione patrimonii, quod Socius Cordubensis in pietatis opera destinaverat. Distat Veracruce nobilissimum hoc oppidum milliaribus circiter sexaginta; quod iter obstinaverat animo Urbiola pedibus agere, solo Christi simulacro, et vili bacillo munitus. Cum vero suum alieno judicio facile submittere assuevisset, id etiam dedit subditorum precibus, qui mille modis persuadere conati sunt, nul-

nullam esse rationem, cur incertis periculis valetudinem suam ultro exponeret. Equo igitur insidens utcunque ephippiato, et ocreis ex panno attrito male contectus crura (quas ocreas etiam negabat sibi necessarias, et tandem admisit in animi demissionis obsequium) Cordubam contendit pacis nuntius, quam utique pacem vultu, et oculis, et toto corporis gestu praeseferebat. Partium voluntates nullo sibi labore comparavit, et, quamceleriter potuit, explicato negotio, et Zevallio mire probatis ejus conatibus, et charitatis industria, Veramcrucem remigravit. Ab hoc autem Magistratu post triennium accersitur ad Tironum Magisterium, quod munus inter ea primi honoris, et momenti habebatur. Et hic, ut officium iniit, coeperunt enitere tum mirabilis ejus fortitudo in iis immutandis, quae nec rectae rationi, nec Lojolae menti convenire existimabat; tum etiam prudentissima scientia juvenes informandi ad mores, et instituta Societatis; ad eos nimirum mores, qui postea honori essent collocatis in strepitu litterarum, coactis agere cum humano genere, atque ipsi officia praestare, destinatis ad sacra ministeria, evectis ad munera. Non oportere credidit, terrorem incutere adolescentibus, ad institutionem sibi traditis; aut ipsis difficilem, austerum, majestate praestantissimum se ostendere: nec enim ignorabat, ejusmodi artibus neutiquam legitimam ali prolem, quae sincera Lojolam, et ab eo conditam familiam adamaret; sed instar servorum, qui ad Domini

prae-

praesentiam contremiscunt, nec ex animo se praestant officio, sed inviti parent, ac nihil non tentant, ut obedientiae gravissimum onus aliquando tandem excutiant. Hanc igitur primam posuit basim educationis tironum, ut non consiliorum severitate, sed charitatis benevolentia regerentur; ut non Magistrum reformidarent, sed colerent; ut non falsa majestate, sed sinceris virtutibus auctoritatem sibi conciliaret. Quod autem de rebus est, quae in mores ibi abierant, sed in quibus liberum erat Magistro ab Societatis regulis; nihil respexit ad decessorum gubernationem, quibus utique venerationem, minime vero assentationem ab se praestandam existimavit: et quanquam hi decessores in gravissimis tum essent subselliis, et quae primi splendoris erant in Provincia; plura tamen ab ipsis constituta, Urbiola fortiter immutavit. Atque ita quidem, quae ad valetudinis, et alimentorum commoda pertinerent, censuit illis abunde administranda, et penitus cavendum, nequid de istiusmodi frustra eos desiderare contingeret. Consuetudinem vero macerandi corpus ingenti ciliciorum multitudine, ad cervicem, ad pectus, ad brachia, ad renes, ad femora; flagellandi se quadrantem horae fere quotidie ad sanguinis effusionem; in nudis asseribus maximam anni partem dormiendi; non quidem omnino extinguendam duxit, sed ad mitissimae prudentiae terminos redigendam: *Quoniam*, ajebat, *si tot corporis macerationibus valetudinem ab hac aetate labefactabitis, non ii certe ado-*

te adolescetis, qui possitis olim perpetuis vacare sudoribus in bonum animorum; quin imo afflictati morbis, vitam agetis et vobis difficilem, et Societati onerosam, cujus obsequio, et ornamento debuissetis vires corporis tueri, et custodire. Nec vero inficiabimur, ut ut ornatus Urbiola esset naturae dotibus ad id muneris, defuisse illi tamen expeditam quamdam facilitatem ad sedandas conscientiae ambages, quibus in prima illa institutione tirones assidue torquebantur. Id autem est mortalis infirmitatis, quae neminem esse patitur usquequaque perfectum. Satis hic sit pauca ista retulisse, quae peculiaria illi fuerunt in novitiorum institutione; alias vero virtutes, quae communes ipsi erant et tironum Magistro, et aliorum Collegiorum Moderatori, mox edisseremus, cum singillatim egerimus de ipsius ratione gubernandi.

Annum hic egerat in summa adolescentium, quos informabat, benevolentia; cum, pulsis Mexico Jesuitis, egreditur tirocinio mire quidem tranquillus, et secum eos ferens in comitatu tirones, qui sponte voluere sequi Socios in calamitosa profectione: liberum enim fuit novitiis aut agmen peregrinantium consequi, aut in paternam domum reverti. Pauci profecto fuere, qui statim ab hac enuntiata libertate, deserere Socios elegerint; postea vero cum primus ille quasi stupor abijsset, ac se se nulla obstrictos religione cogitassent, proindeque nihil esse quod ultro praecipites irent ad immensas aerumnas; vix unus, aut alter ex iis,

qui

qui tirones egressi fuerant, in Italiam pervenerunt. Urbiola toto itinere, quantum dabatur pro maxima rerum perturbatione, nisus est ad disciplinae custodiam, atque eum pietatis odorem, quem emittere deberent a tirocinio recentes. Post plura tandem et terrestris itineris, et longissimae navigationis incommoda, quae tranquillam dignitatem nunquam in ejus vultu conturbarunt; Pontificiam ditionem attigit, et continuo missus est Budrium, pagum a Bononia, Provinciae capite, duodecim fere milliaribus. Dati sunt Urbiolae subditi, qui vel amoenioribus litteris, vel philosophiae studerent; pro quibus omnibus domum ibi conduxit nimis angustam, ut erat hominum copia, et ad domestica officia, ut licuit pro temporum inopia, concinnavit. Sed quod fidem humanam pene exsuperat, ea vitae ratio in illa domo, Urbiola rem administrante, atque exemplis praeeunte, instituta est; ut nihil penitus discerneres Mexicanos juvenes litteris dantes operam in regione frigidissima, et omnigenis incommodis, ab ipsis olim in patrio solo tironibus. Qui Mexicanae rei praeerat, vix ad Italos pervenit, litteris consuluit supremum Societatis Magistratum, quam Socii vitae rationem inirent in hoc otio constituti. Et ille respondit, eos mores, quantum fieri posset, observandos, quibus in Provincia quondam assueverant. Hinc Urbiola, qui Superioris nutum quemlibet instar legis venerabatur, ad Collegiorum consuetudinem totius diei spatia distribuit, et quas horas Divi-

nae

nae meditationi, quas aliis pietatis rebus, quas publico, quas privato studio, quas etiam honestae recreationi intra domesticos parietes impenderent. Horis octo ante meridiem, ut moris erat Provinciae rebus florentibus, dabatur signum, ut omnes e lectulo exurgerent: quod si Socius Adjutor, cui contigerat id muneris, casu aliquo impediretur; ipse Urbiola, semper ad praefinitam horam paratissimus, in Sociorum cubicula lumen introferebat. Et initio quidem cum oeconomiam Italici horologii nondum intelligeret; ut quater hoc sonare inaudiebat, horam esse octavam ante meridiem credebat, (ut est apud Hispanos, et Gallos, et fere ubilibet) proindeque tempus esse praefinitum, ut ab somno excitarentur. Inde in sacellum domesticum conveniebant omnes, pro consueta sacrae meditationis hora, quam totam durabat Urbiola flexis genibus, intentissimam repraesentans, et piissimam religionem. Pari pietate facienti ad aras illico post horam meditationis intererant Socii omnes; a quo sacro, caetèris privato studio, et gymnasio vacantibus, Urbiola secedebat in cubiculum, atque ut fere credebatur, in liberiorem cum Numine cónsuetudinem. Ante prandium quadrantem horae dabant inquisitioni consuetae in suamet facta, et dicta, et cogitata; post prandium frugi admodum, et sacra lectione conditum, modica requies, iterum publicum studium, inde privatum usque ad coenam; ab hac autem, hora colloquii ad charitatem fovendam instituta, brevis eorum lectio, quae po-

stridie meditarentur, et postremo ante somnum horae quadrans illi similis, quem ante prandium demonstravimus. Tam singularem, et austeram pietatem, quae facile vulgata, et praedicata fuit per universum pagum, non modice mirabantur externi; ut suis etiam oculis aegre credebant, peregrinos homines, et juventa floridos, in illa domus angustia perpetuo conclusos, et quasi sepultos esse; nisi quod semel, aut iterum in mense simul omnes ambulationis ergo per agros ibant, et post modicum temporis eodem agmine domum repetebant. Fuere benevoli quidam ex pagi primariis, qui precibus infimis urgebant Urbiolam, ut sibi subdita juventus interesset scenicis, quae *Cleri*, et honestissimorum virorum praesentia decorabantur. Ille vero et gratias egit humanissimis viris, qui tanto studio juventuti favebant; et constanti, atque obfirmato animo petitionem rejecit, a qua timebat domesticae disciplinae jacturam. Sed et Socii, qui domum illam audiebant instar tirocinii virtutibus eminere, non minus quam externi demirabantur, qua ratione obtinuisset Urbiola, rebus admodum fractis, numerosam juventutem in id austerissimae vitae genus convenire. Magni nimirum refert, ut subditi ad tuum arbitrium flectantur, quibus in gubernando virtutibus amorem, et auctoritatem tibi compares!

Illa tandem juventus, confectis humanarum scientiarum curriculis, pro Theologicis cognitionibus evocatur in Herculanorum suburbanum; et Urbiola cum paucis aliquot Sociis in villici

cujus-

cujusdam domum secessit prope Mezzolaram tribus a Budrio milliaribus. Ibi Rector in altissima pace gubernavit paucos illos aetate, ac virtutibus provectos; et ipse, qui amabat natura solitudinem, potuit commode, solutis, ut ita dicam, habenis, totum se committere longiori, et ferventiori cum Deo consuetudini. Et sane id liquidum habemus ab idoneo teste, tum ejus contubernali: Urbiolam, quandiu fuit in hujus domus administratione, totam ferme diem in cubiculo latuisse, et tum sacris lectionibus, tum meditationibus incredibili constantia vacasse. Nihil certe mirum: cum suaviter invitet agrorum silentium ad ea colenda studia, in quae quisque propensus est. Ab hac vero solitudine Bononiam appellatus Urbiola, et dictus Mexicanae pubi Praefectus, a quo in re pietatis dirigerentur; mensibus aliquot in eo munere confectis, postremam vidit Societatis calamitatem. Et perinde ac si eventus iste sua nihil interesset, obfirmatissimo silentio dolorem oppressit, Christi Vicario demississime obtemperavit, vestes ad novum statum immutavit, domum parvulam cum paucis incoluit. Superstes totum fere decennium eversae Societati, fuit in hominum delitiis et ob sermonum dulcedinem, et ob oris affabilitatem, et ob urbanarum virtutum cumulum, et potissimum ob eximiam simplicitatem, per quam, tanquam per speculum, licebat intueri limpidissimum ejus animum. Nunquam ab illo audires verbum, in quo posses reconditam fraudem suspicari; sed

ad Christi vocem apprime conformatus, ingenua sinceritate aut negabat, aut affirmabat. Dulcem cum hominibus consuetudinem, si plures hanc Urbiolae virtutem imitaremur! Talis ille fuerat in tota vitae serie; sed qualis fuisset, tum praesertim apparuit, cum in familiari commercio licuit cominus ad illum, depositis Magistratibus, et nulla jam munerum dignitate decoratum, accedere. Hoc postremo decennio pluribus, et molestissimis vexatus fuit infirmitatibus, quae potuere quidem hominem repurgare ab humanitatis maculis, et exemplum mirabilis tolerantiae mortalibus demonstrare; minime vero aut vultus ejus aequabilitatem turbare, aut ab ipso conquestionem elicere. Lenta denique febri tentatus, atque ex ea decumbens, postremis lustratus est sacris; ac viribus paulatim extinctis, quarto Kalendas sextiles, anno saeculi nostri tertio et octogesimo, ejus vero aetatis currente septuagesimo, magis virtutum, quam dierum plenus, placidissime fato concessit. Elatus est in Divae Mariae Magdalenae Paroeciali templo, in quo plura Mexicanorum cadavera laetissimum diem aeternitatis expectant.

Fuit Josephus Urbiola in primis deditus Divina meditandi studio, et suam voluntatem cum Numine conjungendi; et hinc ferventissima illa charitas, observantia, et religio, quae illum sive ad aras facientem, sive e suggestu dicentem, sive familiariter ad homines loquentem, sive quid aliud agentem distinguebant.

Ubi

Ubi ubi commoraretur, primus illi erat conatus, Numen cognosci, praedicari, et amari, ejusque legem, et in humanum genus beneficentiam inculcari. Navigationis tempore identidem dabat operam Christianis praeceptis ad nautas enuntiandis, eosque assidue, ac blandissime cohortabatur, ut a peccati turpitudine, quam mirifice ad ipsorum captum describebat, in meliorem frugem se converterent; ut ab anteactae aetatis criminibus in sacro Tribunali se purgarent; ut ad caelestis agni convivium accederent. Atque ut verbis adderet efficaciam, sibi donis conciliabat illorum animos; et quo ipsos alliceret, vel ut interessent tractanti Divina, vel ut a vitiis abstinerent, quae forte veniebant in ejus notitiam; huic subuculam, illi caligas, vel femoralia, vel tale quidpiam impertiebat, quae sola habebat in suis rebus: et sic tandem distribuit totam rem linteariam, cujus copiam ei, proficiscenti Veracruce, largissima liberalitate immiserat beneficus quidam, virtutum ejus aestimator. Sacrae poenitentiae Minister delectabatur maxime, cum ad se accederet purgandus aliquis conscientia inquinatissima: proptereaque Rector in Veracrucensibus, quorum maritimum oppidum nautae plurimi frequentabant, gens a perditis moribus fere famosa, nunquam non erat ille paratissimus animo, ad illorum indigestas conscientias in sacro tribunali extricandas. Quod siquem Socium in familiari colloquio audiret, qui formidare se diceret, cum ad sacrum subsellium ad-

 ven-

ventare conspiceret e faece hominum quemquam sordida superficie, ac promissa nullo ordine caesarie; Urbiola lepide ajebat: *Cum ad te venerint, e vestigio mitte ad me incultos illos, et impexos; ego enim lubentissime pecto capillatos istos, et quid lateat sub horridis eorum comis, diligenti strigili expiscor.* Inopiae religiosae studium fuit inter eas virtutes, quibus Urbiola potissimum enituit: nihil habebat in suis, nisi quibus omnino carere non poterat ad cultum corporis honestissimum, et usus vitae necessarios; eaque omnia commendabiliora ipsi erant a pretii tenuitate. Nihil unquam ab alio petebat, nihil habere desiderabat, nulli rei, quae in mortalibus esset, corde adhaerebat. Plane ignoravit tergiversandi artem, cum primum audiret Majorum vocem; quin imo ab his ad arbitrium ferri, et ultro, citroque converti, semper in amoribus habuit. Id vero non solum de iis, qui reapse Superiores erant; sed de aliis etiam, quibus ultro judicium suum deferebat in obsequium obedientiae. Illi jam aetate gravi, et valetudinario quidam contigit quotidianae vitae administer, qui bono animo, sed obtuso ingenio, non leviter ejus patientiam divexavit; cui tamen Urbiola, tanquam docilis infans, obtemperabat, ejusque acerbis imperiis admirabilem observantiam praestabat. Suos animi motus frangere perfecte didicit; et nullus est, qui viderit unquam illum nedum graviter commotum stomacho, sed nec modice subirascentem: semper mansuetus, et vultu modeste hilaris,
vide-

videbatur nunquam in res incidere, quae possent ejus animum perturbare; quod sane in homine, qui ad annos ferme viginti Magistratus egit, ac totum propemodum decennium vitam vixit infirmitatibus difficilem, ostento simile nobis est. Ab supervacaneis delectamentis, etiam illis, quae decent viros honestissimos, quantum poterat sine jactura valetudinis, abstinebat: tabachi pulvisculum in nares indere, moris illi fuerat a tenero; postquam vero exivit Mexico, hac odoratus voluptate carere ultro voluit; quanquam illam valetudinis causa postremis annis resumpsit, imperante Josepho Bellido, ipsius conscientiae arbitro. Temperans, et frugi admodum erat in victu, domestico cibo contentus: et cum Emmanuela Monterdia, Matrona Veracrucensis, mille nominibus de Sociis benemerita, his in triclinio assidentibus exquisitas aliquas dapes interdum dono mitteret; Urbiola Rector, data Sociis edendi facultate, nec leviter degustabat. Nulla unquam diei hora non dabat operam, sive menti studiis excolendae, sive animi sui, sive aliorum utilitati; tum ut morem gereret Lojolae imperanti suis, ne cum otio inducias facerent; tum etiam quod vel minimam temporis particulam Deo, a quo acceperat, restituendam arbitrabatur. Moderator in Collegio Veracrucensi post Sacrum celebratum, culinam ibat, et in aheneo vasculo calida immissa, dum scalam conscenderet, unciam coccolati male diluebat, et cubiculum ingressus, festinanter potabat, ut maturius rediret templum pro sacris audiendis con-

fessionibus, et plus illi superesset temporis ad alia pietatis opera. Miris utebatur industriis, ad animi fervorem excitandum; et quo magis, magisque in perfectionis fastigium contenderet, designabat in adversariis, quam sibi procurare virtutem singulis annis, quam singulis mensibus, quam singulis diebus, maximopere conaretur. Teresiam, Carmelitanam in Hispanis Virginem, aemulatus, obstrinxit se sacramento, id semper faciendi, quod coram Deo perfectius esse intelligeret; ac suum judicium alieno subjiciendi, siquando majorem perfectionem per se satis ipse non caperet. Profecto nullus fuit, qui Urbiolam viderit ab hac sibi sponte imposita lege recessisse.

Perpetuos, ut memoravimus, cum gessisset Magistratus, omnes attigit numeros perfectissimae administrationis: ejus autem scientia gubernandi duobus tanquam basibus fulciebatur, nimirum lege, atque animi demissione. Ut erant Societatis homines, quibus gubernandis praeficiebatur; Societatis legi serio, naviter, atque assidue studebat, eamque legem omnino in gubernationis normam respiciebat. Designatus tironum Magister, cum Mexicum attigisset; quidam Socius auctoritate gravissimus plura volebat cum illo colloqui de retinendis moribus, qui fuerant in tirocinio postrema aetate constituti; Urbiola vero, qui non ad privatorum arbitrium, sed ad Lojolae mentem, et legem, novitios informare statuerat, in haec urbane quidem, sed obfirmato animo respondit: *Si tan-*

tum-

tummodo regulas, atque instituta Societatis habuero, quae legam, haec certe satis erunt ad conformandos juvenes, qui mihi traduntur, ut mores discant Societatis. Rerum humanarum despicientia, quam Societatis Conditori charissimam fuisse intelligebat, inter primas erat virtutes, quas verbis, et exemplo Urbiola commendabat; ut videlicet amarent omnes, colerentque inopiam voluntariam inter prima fundamenta religiosae institutionis. Ea propter cum suis Mexico excedentibus plura donarent aut cognati, aut benevoli; facultatem ille impertiebat, ut reciperent, ea tamen conditione apposita, ne donum esset in privatum recipientis usum, sed in commune Sociorum emolumentum. Si domum ingredereris, quam regebat Urbiola; nihil sane cognosceres, penes quem erat summa rerum, nisi forte videres ex munere praeeuntem in domesticis religionibus: nam caetera nullo prorsus discrimine haberi volebat. Cum imperabat, instar precantis; cum corrigebat, instar consulentis, aut rem familiariter narrantis erat. Utique nullam formidabat dignitatem, nullos canos, nullam doctrinam; cum aliquem errasse animadverteret. Sed quanquam strenuus assertor, et custos disciplinae, nulli tamen parcebat charitatis, demissionis, et suavitatis industriae, ut ejus verba emendarent, non exasperarent errantem. Interdum cum noxam aliquam intellexisset; Sociis omnibus post prandium convenientibus in familiare colloquium, tanquam sermo casu incidisset, noxam corrigebat, nemine spe-

speciatim appellato. Interdum etiam id muneris agebat, solus in cubiculo solum nactus, et locum honoris corrigendo cedens, et nunquam non summis usus benevolentiae significationibus. Testatus est apud nos quidam Socius, Urbiolam ad se quodam die venisse, atque in subsellio, quo nullum deterius erat in cubiculo, sedisse; cumque Legatum ab Lojola se diceret, suavissimis tandem verbis in errati cujusdam animadversionem descendisse. Quod si admissa noxa ex gravioribus esset, aut quae bonum Societatis nomen, aut charitatem offenderet; coram duobus, vel tribus testibus corrigebat eum, qui peccaverat. Neque vero tunc aut supercilium induebat, aut turgentibus, aut asperis verbis, ad rem amplificandam utebatur; sed consueta vultus affabilitate, atque oppido mirabili demissione, simpliciter noxam exponebat, emendationem se sperare dicebat, et poenam, quam opportunam crederet, irrogabat. Et ne fortasse crederetur, aut errantibus irasci, aut de his male sentire; ipsum, in quem animadverterat, post modicum temporis familiaritate summa visitare solebat, et cum eo de rebus omnino aliis colloquia protrahere. Objurgavit quemdam Socium, a quo, suimet impotente, pessimis verbis fuit excepta lenissima corrigentis mansuetudo; postero tamen die ut in illum Urbiola se se jucundissime vindicaret, hominem ad se vocavit, indulgentissimis verbis ipsum habuit, coccolati potione recreavit, quam etiam suis ipse manibus ministravit. Atque id objurgandi offi-

cium tum exercebat, cum noxam vel ipse conspiceret, vel ab alio audiret, qui rem ad sincerae fidei, charitatisque regulas testaretur; longe tamen erat ab anxie inquirendis, et explorandis erratis, quae corrigeret. Astuta calliditas, et subdolae suspiciones nullam unquam habuere partem in Urbiolae gubernatione; sed in omnibus resplendebat imago candidissimi animi, quem plus virtutum magnitudo, quam Magistratus auctoritas commendabat. Se Superiorem esse, nunquam, quod audierimus, propalam dixit; nisi semel in navigatione, cum, Socii cujusdam culcita fluctibus madefacta, hunc ad se vocatum Urbiola in haec blande allocutus est: *Ego, qui Superior tibi sum, ex potestate impero, ut in lectulo meo dormitum contendas*. Verebatur nimirum, ne sibi precanti Socius resisteret; atque idcirco dignitatem induit, et se Magistratum appellavit, ut alter patienter obediret; quanquam Rectorem, et annis gravem, in nudis asseribus cubantem conspiceret. Certabat officiis, et mutua benevolentia cum Subditis; quos etiam in onere cujuslibet muneris portando, quantum poterat, adjuvabat. Ludimagistrum agebat in Collegio Veracrucensi Gregorius Sesma, Socius Adjutor eximiis virtutibus, qui tamen ab affecta valetudine saepius officio interesse non poterat; et tunc mirabilis erat exempli Rector Urbiola, qui litteris elementariis, et calculo pueros lubentissime imbuebat. Quod siquis cum ipso cavillaretur, tanquam id oneris minime deceret Magistratus digni-

gnitatem; hilari vultu reponebat Urbiola: *Nullum est in animorum utilitatem officium, quod quemlibet Sacerdotem Societatis non deceat: quid me non decebit ministerium informandi puerulos, qui ab innocentia sunt instar coelestium Geniorum? Si quem autem offendat auditorum conditio* (nam ludum illum maxime frequentabant Aethiopum liberi, atque alii colore subnigro, et ex infimo gradu civitatis) *Cathechistae munere ad romanam plebem fungebatur Ignatius, familiae nostrae Conditor, ejusque tum Supremus Moderator.* Et sane Veracrucenses, ac praesertim puerorum, qui instituebantur, Parentes veneratione summa colebant, et amabant Socios, eorumque Rectoris demissionem, et aliarum virtutum eminentiam nullis non laudibus efferebant. Consulto longiores fuimus in referenda Josephi Urbiolae gubernatione, quoniam ad docendum pertinet, quod ex praecipuis est historiae, Magistrae virtutum, muneribus; ut etiam quoniam describimus hominem, quem ab universis dotibus perfectissimam Superiorum normam existimamus. Nec in hoc judicio aberrare timemus a veritate; cum Franciscus Zevallius, vir quidem ut ab aliis dotibus praeclarus, ita etiam a certissima scientia cognoscendi homines, palam auditus fuerit enuntiare, Josephum Urbiolam, renuntiatum ad novitiorum institutionem, alterum esse Quirogam in peritia gubernandi: qui profecto Quiroga id fuit hoc nostro saeculo Mexicanis tironibus, quod fuere in Societatis infantia, qui sub Lojolae disciplina novitios instituebant.

JOAN-

JOANNES FRANCISCUS IRAGORRIUS.

HOminis virtutes describere nunc aggredior, quem mire gaudeo, per annos aliquot me cominus aspexisse, observasse, coluisse; quem propterea jampridem credideram inter Mexicanos ab animi dotibus clariores jure merito annumerandum. Is fuit Joannes Franciscus Iragorrius, natus anno hujus saeculi vicesimo octavo, quarto Idus Julias, ad Aram Matthiae in Monte Pinario, vulgo appellatam *Sierra de Pinos*. Dominicus Iragorrius, et Maria Cecilia Riolasa, Cantabri uterque, cum in Novam Hispaniam diversis nominibus transmeassent, matrimonio copulati sunt Guadalaxarae, quae urbs est Novae Galleciae princeps, tercentis fere a Mexico milliaribus posita, borealis latitudinis paulo ultra gradum primum, et vicesimum. Dominicus id temporis utebatur fortuna, sinminus opulenta, saltem mediocri; quam vero cum potissimum decorarent pulcherrimae animi dotes, Regius Judex ad praedictam Aram Sancti Matthiae dictus est. Illuc e vestigio cum uxore se confert, atque ad annos viginti sex ibidem commorati, undecim habuere filios, quorum fuit ordine septimus Joannes Franciscus. Postmodum re familiari in deterius ruente, non levibus pecuniae summis (quod

asso-

assolet) ad argenti fodinas male perditis, translati sunt ad oppidum Sanluisiense in Potosinis. Et hoc sane fuit angorum, atque afflictionum tirocinium, quarum uberrimam copiam toto vitae cursu obtulit Joanni Francisco Deus. Inde post tertium annum vita functus Dominicus, in aegerrima viduitate reliquit conjugem, quot filiorum Matrem, tot agitatam doloribus: quippe unde aleret superstitem prolem, quae numerosa quidem erat, omnino non habebat. Utcunque tamen miseris familiae rebus, Joannes Franciscus in oppido illo studuit latinitatis rudimentis, Magistrum audiens Josephum Campojum, apud Socios Mexicanos notissimum, tum praecelsa mente, tum bonarum artium ornamentis, tum antiquitatis cognitione ingenti, tum etiam eloquentia, tum autem possessione, atque usu latinae linguae perfectissimo. Atque illos jam ab initio sub tali Praeceptore Iragorrius fecit progressus, ut ingenio futurum non vulgari odoraretur Campojus, et primum discipulorum singularibus in eundem laudibus omni post tempore meminisset. Ad haec, amabat tenerrimus Matrem optimam, quam animo laceratam videre in ea domestica penuria, maximo sibi fuisse dolori, postmodum asserebat. Proinde nunquam ab eo Mater, quod doleret, habuit: qui nimirum et ipsi placido semper vultu obtemperabat, et ejus potestati lubentissime subjectus erat, nec ad ludos unquam, nisi qui redolerent pietatem, atque innocentiam, declinabat. Fuit etiam a tenero quietissimis moribus,

bus,

bus, animo ad Christianam demissionem natura pronus, amore in Mariam Virginem suavissime accensus.

Inter haec pietatis elementa cunctis amabilis adoleverat, atque ad aetatis annum devenerat decimum septimum, quem ipse suae ad Aeternum Numen conversionis initium postmodum appellare consuevit; cum de vitae statu eligendo subiit animum cogitatio. Jam a puerulo, cum Montem Pinarium incoleret, neque adhuc Socios vidisset unquam; Lojolae imaginem casu aspiciens, mire illum adamasse, atque ipsius vexilla velle sequi, fertur cupidissimus clamitasse. Quidquid de hoc fuerit, utique jam grandiusculus, quanquam ad perillustrem Franciscanorum Familiam amplectendam provocaretur, quam frater natu major secutus fuerat; ille ad Jesuitas annumerandum se firmissima voluntate proposuit. Igitur ut primum licuit, ad Provinciae Moderatorem vota tulit, humiliter postulans ad Societatis tirones cooptari; neque tamen id potuit ullis precibus extorquere: cum interrogati Medici, male de ipsius valetudine ominarentur, quam in phthisim vergere palam affirmabant. Vehementer cruciatus est ad hujusmodi repulsam; sed nequaquam idcirco destitit a pio proposito, quod animo maxime insederat. Deprecabatur enixe Deum, ut cujus gratia tam salutare inierat consilium, viam aperiret, ut executioni mandaret aliquando. Interea vero juvenem, qui vicesimum jam ferme aetatis annum attigerat, immittere Mexicum,

xicum, visum est Matri, philosophicis cognitionibus erudiendum. In summa rei familiaris inopia, proficiscenti extra domum suppeditare Mater vix poterat, quo mortem arceret: propterea Mexici cubiculum parvo pretio conduxit, ubi et sibi ipse in omnibus ministrabat; et quidquid ab re domestica curanda supererat otii, studio intendebat solicitus. Et profecto instar miraculi esse potest, in urbe amplissima, quae scatet ubicunque deliciis, juvenem aetate floridum, in summa agendi, et semet gubernandi potestate, nullo praeterea suorum operum teste; non modo non deflexisse ad vitia, verum et pristinam vitae sanctimoniam adauxisse. Inde factum est, ut tum ab opera indefessa, quam litteris navabat; tum ab eminenti ingenio, quod in ludo quotidie apparebat; tum a signis quamplurimis judicii, et gravitatis praematurae; tum etiam a castigatis moribus, et frequentibus pietatis operibus; quasi homo jam adultus, et longa rerum experientia edoctus videretur. Et hinc opinio illa, quae sensim apud condiscipulos inolevit, Iragorrium optimum esse adolescentem, et plane dignum, cui minus improspera fortuna contigisset. Quae sane opinio cum etiam pervasisset Joannem Villaamilum, ejus in philosophicis Magistrum, cujus benevolentiam sibi merito adolescens conciliaverat; hic tandem Magister obtinere potuit ab Rectore Seminarii Divi Ildephonsi, ut ad ejusdem Collegii Pubem gratis Iragorrius admitteretur. Nec poenituit Moderatorem illum, ad

ephe-

ephebos, quos instituere datum sibi erat, talem juvenem adscripsisse; qui et philosophicis cognitionibus inter primos eminebat, et ea erat vultus modestia, studiique assiduitate, ut suspicerent ipsum, atque amarent boni; socordes aut aemulatione, aut pudore afficerentur. Absoluto philosophiae curriculo, ut non mediocres a Magistro laudes, ita et publicos honores consecutus est; ac denuo tentavit Provinciae Praesidem movere, ut votorum de ineunda Societate compos fieret. Plus biennio probaverat consilii sui constantiam; et cùm alias evanuissent Medicorum omina de valetudine in phthisim inclinante; permagno ipsius gaudio, et voluptate petitioni annuit Provinciae Moderator: qui nihil etiam concedere gravatus est, quoniam candidatus vicesimum tertium aetatis annum jam agebat; ut publicae theses, quas, exeunte philosophico cursu, laude non vulgari defendit, pro periculo essent, quod ex Sociorum more subire debuisset, postquam a tirocinio veniens, alterum dedisset annum repetendae philosophiae.

Facile quisque conjiciet, qualis fuerit Iragorrius in Tepotzotlanensi tirocinio, ubi quocunque se verteret, in exempla pietatis incidebat; cum ultro ad intaminatae vitae perfectionem cucurrisset, quo tempore malorum irritamenta, et libertatis illecebrae suppetebant. Ibi nimirum fundamenta posuit pro ea virtutum universitate, quae postmodum eminuere, quocunque fuit in munere collocatus. In primis

autem ab se avertit horridam quamdam pietatem, aut speciem potius fucatae pietatis appellemus, quae ad modestiam, silentiumque cum nimis concinnare velit externum hominem, mirifice describit inurbanae rusticitatis imaginem. Iragorrius ad solidam perfectionem totus tendebat; mirabili sinceritate cordis factus erat; suavi, tempestiva, et quasi ingenita modestia custodiebat oculos; linguam silentio fraenabat, cum silere inopportunum non esset; attamen cum opera, verba, gestus, et totum hominem ad nativae prudentiae normam dimetiretur, virtutem in semet depingebat urbanam, atque amabilem. Profecto qui veram probitatem a simulato. probitatis nitore non optime dignosceret, nihil admirandae virtutis in illo adolescente fortasse arbitraretur. Intus vero ipsum novit Petrus Realesius, tum temporis tironum Magister, qui judicio, prudentiaque maximopere probatum, dignum existimavit, et quem caeteris candidatis praeficeret, et quicum ageret familiariter. Societatis vota cum de more nuncupasset, ac paucos menses humanioribus litteris vacasset; ad Zacatechos renuntiatur Magister, qui pueros externos in grammaticis erudiret. Biennium etiam in eo duravit munere, suis auditoribus charus admodum; quos perhumana suavitate cum ad sui benevolentiam alliceret, tum latinis praeceptis ipsos imbuebat, tum praesertim ad pietatis amorem, et Christianam consuetudinem informabat. Sacrae deinde scientiae cum operam dedisset totis ingenii viribus in Mexica-

xica-

xicano Collegio Sanctorum Petri, et Pauli; honores, quos nihil quidem captare unquam curavit, adeptus est, atque Angelopolim missus, qui theses publicas ad diem integrum propugnaret. Per id temporis ad Sacerdotis dignitatem evectus cum fuisset, continuo charitas illa, quae novum Christi Ministrum urgebat intrinsecus, et mirum in modum ad animorum salutem procurandam solicitabat, erumpere non distulit; dubiumque omnino haud fuit, ipso illo anno, qui parandis dabatur thesibus, plus animis juvandis, quam rei Theologicae studiis intendisse. Nulli pro confessione postulanti aures denegabat; nulli, qui consilium peteret, non facilis porrigebat: pro quo sane Consiliarii officio persaepe requirebatur; cum et eniteret potissimum, et natus omnino videretur Iragorrius dono intelligentiae tum ad afflictos erigendos, tum ad tempestates conscientiae sedandas, tum ad implicatum quodlibet negotium mira dexteritate solvendum. Quanquam autem in hujusmodi sacris ministeriis obeundis magnam anni partem occupasset; cum ad diem thesibus praefinitam ventum est, nihil pavidus in scholasticam arenam descendit, ingeniique non vulgaris apertissima dedit indicia.

Tertio probandus de more Societatis, ad Sancti Spiritus Collegium in eadem urbe situm transivit: ubi cum praefervide ad annum fere adlaborasset, et domi, et in urbis nosocomiis, in confessiones audiendas, aegrotos omni ope recreandos, in agone positos Christianis

religionibus adjuvandos incumbens; ad Mexicanam Professorum domum, quae sudorum erat amplissima vinea, vocatur Operarius. Atque hic suum illum salutis animorum ardorem effundere tandem potuit; ubi nimirum diu, noctuque charitatis ministerio locus erat: etenim sive domum adventabant, qui poenitentia expiari vellent; sive pro animam agentibus in subsidium mitteretur; sive instruendi essent, recreandique in carceribus devincti; sive ad mortem parandi capite damnati; sive pueri Christiana rudimenta edocendi; prompto erat ille animo, ad munus quodlibet, qualibet etiam hora, destinaretur. Ad haec, nihil obstitit adversa ejus valetudo, et capitis dolor, quo fere non interrupte cruciabatur; quominus Verbo Dei annuntiando in concionibus vacaret assiduus. Non ille quidem venustis flosculis, quaesitaque artificiose munditie jejunam, et languentem orationem; sed quas longa meditatione res Divinas remanderat, ruminaveratque ad Numinis conspectum, ubi verae Sapientiae origo; eas non nude penitus, atque incompte, digna tamen Sacro Ministro et voce, et eloquentia pronuntiabat. Equidem audivi Mexici virum clarissimum, quem fama vulgabat, et maximis laudibus efferebat, tanquam Sacrae Eloquentiae principem; qui mecum familiariter colloquens, aperte asseveravit, Iragorrium omnino inter primi nominis Divinos Oratores jure suo annumerandum. Insuper, quasi levia essent robustis animi sui viribus, quae demonstravimus

mus hactenus; novum onus, modestae ipsius indoli sane quamgravissimum, commissum illi fuit. Joachimus Monserratus, Marchio Cruillensis, Praetor ab Rege in Mexicanis, pro filiorum, filiaeque institutione unum aliquem e Sociis a summo Provinciae Magistratu postulaverat. Id muneris ut expleret, Salvator Davila renuntiatur, vir indole suavissimus, urbanitate, ac lepidis facetiis nulli secundus, tum etiam Gallicae linguae Magisterio, mathematicis cognitionibus, amoenis litteris, et scientiis gravioribus ornatus; quem itidem religione, ac pietate clarum, septimo jam anno Bononiae vita functum, singillatim laudavimus, certe infra meritum. Cum autem Salvator externis adolescentibus philosophiam Angelopoli traderet, nec expedire videretur, intempestive abrumpi curriculum; dum ille priori muneri postremam manum imponebat, Iragorrius vices absentis gerere ad Praetorios liberos imperatur. Quod honorificum munus, tametsi animo reluctans inierit; ea modestia, et religiosa dignitate adimplevit, ut nobiles, et pii Parentes quammaxime probaverint hominem, cessantemque post sex menses ab officio, quampluribus amoris, ac desiderii indiciis cumulaverint.

Post biennium in Professorum domus laboribus exactum, philosophiae Magister ad Angelopolitanos remittitur. Atque ut erat illi solemne, quaecunque aggrederetur, adamussim perficere; nihil non tentavit, ut omnes hujusce laboriosissimi muneris partes adimpleret. Singu-

 lari

lari erat perspicuitatis dono ad abstrusa quaelibet, ac reconditi sensus arcana, facili verborum ductu extricanda: et testis egomet sum, quanto insuper labore ampliare procuraverit hanc sibi ingenitam a natura virtutem, quantaque patientia iterum, ac tertio rem eandem enucleare tentaverit, diversis usus circuitionibus, ut obscuras illas, perplexitateque ac taedio refertas ambages vel rudis quisque auditor intelligeret. Id autem non in ludo duntaxat, sed ad ejus etiam cubiculum venientes, aut ubilibet de philosophicis interrogantes, perhumanus excipiebat; atque ut libere accederent, quoties dubium oriretur aliquod, invitabat. Neque vero, qui tam alacri insudabat assiduitate ob litterarium discipulorum profectum, ipsorum animi salutem negligebat. Nullus erat dies, quin de rebus aeternis verba ingeminaret: mane, et vespere quotidie lectioni de hujusmodi rebus modicum dabatur temporis; quam lectionem ipse postmodum opportunis monitis longiuscule confirmabat. Cohortabatur auditores, ut ad salutaria tum Poenitentiae, tum Eucharistiae Sacramenta frequentes, et reverentes accederent; Mariamque Virginum Reginam, per cujus manus derivantur Divina in mortales beneficia, toto cordis affectu prosequerentur. Ita enimvero fervidus, et vultu accensus in his erat officiis, ut aperte videretur, quanta charitatis flamma hominis urgeret praecordia. Generatim humanus erat, et suavis, tum omnes, tum singulos alloquens; quin a debita pro munere gravitate deflecteret:

pro-

proinde nullum erat benevolentiae indicium, quod auditores Iragorrio non praestarent. Ab ejus disciplina complures prodierunt, qui a mundanis illecebris ad sacrarum Familiarum claustra contulere se se; quos inter Josephus Redona, juvenis purgatissima innocentia, ob quam, et ob ingenii excellentiam Magistro fuerat charus in primis; qui postea Societati nomen cum dedisset, crudelique sui corporis odio gravem sibi morbum attulisset; tertio demum mense post commune Provinciae Mexicanae naufragium, ad Fratres Bethleemitas, quos alibi diximus eo loci religione florere, diem obiit supremum, ingentique Mexicanorum comitatu, et frequentissima pompa, quasi Angelus in caelestem patriam introferretur, inter sparsos flores, et publicos plausus fuit elatus. In tanta Magisterii defatigatione magnopere vexavit hominem adversa valetudo, eoque dolores capitis increvere, ut fere, quid ageret, nescire se, nec omnino suam sibi constare mentem, interdum assereret. Nihil propterea credidit ab obedientiae perfectione desciscere, si ad Franciscum Zevallium, Provinciae Praesidem, postquam rem mature perpendisset, confugeret, atque enixe obtestaretur: ut, quandoquidem per morbi gravitatem staret, quominus ipse rectae sui muneris administrationi sufficeret, a Magisterio removeretur. Zevallio autem, justis certe de causis, abnuente; valetudinem suam, et vitam ipsam Superioris voluntati posthabere constituit obsequentissimus Magister. Accessere per id temporis

domesticae nonnullae insectationes, quae Magistri animum oppido excruciarunt. Neque vero dubito, quin utraque pars vacaret culpa: cum ita ferat humana conditio, ut ingeniorum cavillationibus nunquam non simus obnoxii; sive incogitantibus verbum excidat, quo perperam credat alter, suam laedi existimationem; sive in suo quisque munere exercendo, diverse opinemur; sive quis nimia severitate judicet, minime ferendum, maculis vel levissimis inquinari alterius virtutem. Ita comperimus, viros maximi consilii, et castigatissimae consuetudinis, in Bernardum Colnagum, hominem apprime Deo charum, exarsisse: nec alia desunt et externa, et domestica, belli ex utraque parte justi monumenta. Utcunque vero fuerit, coortae procellae Iragorrius egregie restitit, immotam illam, qua eminebat, opponens animi magnitudinem; atque his tantis adversis nihil obstantibus, munus inceptum secunda civitatis admurmuratione perduxit tandem ad exitum.

Confecto philosophiae Magisterio, ad Anticariense Collegium Superioris jussu contendit, per vicinos pagos constitutis anni temporibus Verbum Dei annuntiaturus. Homo sane, qui desiderio exaestuabat, vires, et conatus omnes in animorum salutis procuratione impendendi; ejusmodi sudori Evangelico natus videbatur: proindeque nihil illi jucundius, nihil ipsius ingenio accommodatius, quam diutinam praestare operam optatissimo, et laboriosissimo Ministerio. Caeterum cum per id temporis renuntia-

tia-

tiatus esset Moderator ad Patzquarenses Josephus Melendezius, qui ad plures annos eximia prudentiae laude, ac fere inimitabili charitate, in Angelopolitano Divi Ildephonsi Collegio Ministrum egerat; Iragorrius continuo appellatur, a quo tanti decessoris locus impleretur. Huic etiam muneri opportunissimae videbantur hominis dotes, qui suopte ingenio mitis, ac dulcis, atque insuper omnibus omnia factus ab industria charitate; facile posset Socios a tirocinio recentes ad religiosos mores, et disciplinam domesticam informare. Post paucos tamen menses, alumnis, qui grammaticae studebant in ejusdem urbis Collegio Divi Hieronymi, summa cum potestate praeficitur. Eminebat ille comi gravitate, perspicaci prudentia, et dono quodam mirabili se se in juveniles animos insinuandi, atque idcirco credebatur optimus pro excitandis illis ad litterariam gloriam, pro dirigendis moribus ad studium pietatis, pro formandis ingeniis ad civilem consuetudinem. At homines, quos exornat virtutum universitas, ad omnia munera existimantur idonei. Singularis prudentia, charitas humanissima, nativa et nihil fucata gravitas, actuosa strenuitas, judicii maturitas, animi magnitudo, constantia vultus ad inopinata discrimina, quae dotes omnes in Iragorrio certatim emicabant; in causa quidem fuere, cur in praedictis muneribus modico tempore constiterit, semper vocatus ad altiora. Utique vix Divi Hieronymi subsellium occuparat; cum Josephus Utrera, domui Professorum

desi-

designatus Praepositus, Iragorrium, cujus perspectam habebat virtutem, ejusdem domus Ministrum postulavit. Et hic tandem quievit ab officiorum mutatione; non tamen quievit ab opera: nam quantum cura, et scrupulosa rei domesticae solicitudo patiebatur, in laboriosissima domo, quasi operarius esset appellatus, animorum intendebat saluti, consolandis aegrotis, detergendis poenitentia conscientiis, urbi commovendae sacris concionibus, et tonanti facundia in meliorem frugem revocandae. In spinosis illis, quae plurima, et cum domesticis, et cum externis, Ministerium offerebat negotia, conspicuus erat modestia, charitate, atque animi demissione; quin unquam visus fuerit, quanquam provocatus interdum, aut ira excandescens, aut vultu incompositus. Neque vero id tribuendum naturae virtuti, quae videlicet nesciret irasci: cum contra praefervida esset indole, pronaque ad iracundiam; nisi longo usu vim sibi inferendi, de bilis assultibus obtinuisset victoriam.

Ejusmodi ministerio finem posuit septimo Kalendas Quintiles, anno hujus saeculi sexagesimo septimo; cum Josephus Antonius Arechius, qui renuntiatus erat Senator ad Manilenses, et Mexici navigationis commoditatem opperiebatur, ante diluculum in Senatoria Majestate sistit se domus Professorum Praeposito: a quo reverenter, ut par erat, exceptus, imperat Regio nomine, vocari ad se Socios omnes in locum illum, ubi solebant pro religiosis conventibus

tibus congregari. Dicto citius cum convenissent in sacellum domesticum, Arechius legit ab Rege decretum, in quo Jesuitae omnes Hispani solum vertere jubebantur. Nihil de prompta, et fideli obedientia dubitatum; quam quidem obedientiam propria notari manu ab omnibus, et singulis exactum est. Attamen, re prope confecta, fuit, qui animadverteret, moneretque, in eo sacello asservari Numen Eucharisticum: quam ad vocem attonito similis Regius Administer, tactus reverentia Numinis, et religione loci, excusatum se piis verbis ad omnes voluit, quod eo loci, rei omnino ignarus, judicialia exercuisset. Omnes excusationi suffragati sunt, quod nemo fuisset ullus, qui rem animadverteret opportune, perculsus cunctorum mentibus ad insolitam conveniendi causam. In haec vero: *Quid agendum igitur?* Exterritus ait Senator: *pompa ne debita extrahemus Divinum pignus, alibi recondendum?* Quin imo (ait ille, qui rem primus notaverat) nos hic refici, et recreari coelesti hoc alimento aequum erit. Quod cum pio, summoque plausu a cunctis acciperetur; Obstupefactus Arechius: *Ergo ne vos*, inquit, *modo?* Nunquam vero, una omnes voce responderunt, illud fuerit utilius, neque cadere poterat quid aptius, quam Viaticum hoc migraturis, et solatium calamitosis. Obmutuit, lacrimis obortis, pia Senatoris religio, et facta potestate, ut ea ratione Sacrum tolleretur, consumpta Divina dape; in reverentiam exinde versus est hominum, qui ad inexcogitatum, im-

improvisumque summi decreti vulnus, ea mentis tranquillitate constiterant, atque in pios illos motus erumpere potuerant. Sed Iragorrium praesertim demiratus est; cujus nimirum virtutes licuit ipsi tum intime, tum diuturniori tempore conspicari: caeteris enim Sociis Mexico proficiscentibus, unus ille, qui rem familiarem Minister curaverat, per dies aliquot domi remansit, de sacra supellectili, de reditibus annuis pro Sacerdotiis, et solemnibus inibi loci constitutis, et de pluribus aliis, quorum erat cura Sociis in ea domo degentibus, Arechio redditurus rationem. Quod miro fecit tum rerum ordine, tum oris comitate, tum animi constantia, caste, atque integre functus officio, nihil haesitans, nihil turbatus, quasi cum amico de lepidis ageret. Quae sane perquamurbana hominis virtus adeo devinxit Regii Senatoris animum, ut sinceram, atque ex animo amicitiam ipsi per eos dies maximis argumentis probaverit: et cum deinceps Arechius idem rem totam deferret ad regni universi Praetorem, atque ad Josephum Galvezium, qui tum temporis Legatus potestate summa Regis, et rem omnem publicam in Mexicanis lustrabat Censor, et rei Jesuiticae singularibus mandatis intererat; duo tanti viri eximiam Irragorii pietatem, atque incorruptam integritatem magnifecerunt, et laudibus cumularunt.

Absolutis penitus, et ad calculum revocatis rationibus, Veramcrucem ire jussus est, ut Socios in exilium properantes consequeretur.

Nihil

Nihil valetudinis imbecillitas, nihil terrestrium viarum difficultas, nihil vasti maris, quod nunquam viderat, immensitas impedivit, quominus laeto animo, atque alacri vigore profectionem adornaret. Magna quidem exercendae patientiae fuit materies in longissima illa, et permolesta navigatione; omnia tamen et incommoda, et pericula religioso vultu superavit imperturbata viri tranquillitas. Post emensum Oceanum, Gades appulsus est, et menses aliquot in Mnestei portu conquievit: unde rursus per mare, ac terras iter arripiens, in Tusculanum tandem, amplissimam villam urbanam sexto ferme a Bononia lapide, considere imperatur. Et hic Provinciae Praeses cum animo volveret, quantam ille diligentiam, atque accuratam solertiam in munerum habitorum exercitio adhibuerat; dignum existimavit, quem rei domesticae procurationi praeponeret: quae quidem procuratio, nullo tempore non difficilis, eo loci, et rerum erat sine dubio perardua. Confluxerat in praedicta villa convenarum Sociorum multitudo, quorum non solum victui providere in ea pecuniarum paucitate, industriae Procuratoris erat; sed quidquid in illa ab urbe distantia desiderare possent homines a patria suavitate avulsi, a mari recentes, viribus fracti, laboribus oppressi, ad ejusdem operam confugiebant. Munus certe Iragorrius recusabat, si reluctanti naturae indulsisset; qui vero ab religiosae vitae infantia suarum actionum normam habuerat obedientiam, oneri gravissimo subjecit patientes humeros, et

quam

quamdiu Tusculanum incoluere Socii, procurationem retinuit: quo toto tempore contubernales omnes maxime probaverunt hominis temperantiam, et sedulam in officio alacritatem. Inde cum Provinciae praeses, confecto Magistratus triennio, de more Societatis a munere cessavisset; Iragorrius novo Moderatori a Secretis appellatur. Amplissimam in hoc officio provinciam sibi oblatam reperit, qua palam omnibus faceret amorem suum, et reverentiam in Societatis leges, atque Institutum universum: pluraque per id temporis ex ejus consilio stabilita sunt, ut otii mala declinarentur; ut Sociorum ingenia, et maxime illorum, qui juventute florebant, exercerentur; ut avita disciplina quam accuratissime servaretur; ut religiones ex domestica consuetudine colerentur. Verumtamen annum fere in his confecerat, cum abrupta sunt omnia, et venerando supremi Pontificis decreto Societas extincta. Legitimae imperantis potestati nihil distulit obedire Iragorrius; tametsi temperare sibi non potuerit, quin Parentis fatum lacrimaretur, quam unice adamabat; quam ad annos plus viginti duos morum Magistram audierat; a qua tot precibus obtinuerat, ut ejusdem filiis dare se nomen pateretur. Mutavit religiosam vestem; nihil tamen ab religiosis moribus, quibus tot annos enituerat, deflexit; et piissimo institit tenori vitae, perinde ac si esset a mundanis periculis oppido remotus.

Ultra triennium adhuc Bononiae remansit, jucundo secessu, et latebris functus; unum cogi-

gitans, ut solutus omnibus curis humanis, in semet excolendo Divinis meditationibus reliquum aevi spatium consumeret. Commoratus est per id temporis apud Divae Catharinae Parochum, Sacerdotem optimi nominis, qui pietatem ejus, prudentiam, doctrinam, animi moderationem maximopere aestimavit. Iragorrius autem, quem inprimis urgebat desiderium officia hominibus praestandi; ne incomitatus abiret discipulus ejus, ab animi dotibus illi charissimus, qui Romam contendebat; decrevit et ipse immigrare: in qua quidem urbe, postremo vitae sexennio, praeclara dedit Sociis virtutum omnium exempla, christianae potissimum fortitudinis, ad incudem positus diuturnae infirmitatis. Paucos menses commoratus fuerat Romae, cum increscere sensim coepit ille capitis dolor, quo fere ab annis teneris excruciatum fuisse hominem, supra demonstravimus. Neque jam tormentum illud in fronte, occipite, ac temporibus duntaxat insidebat; sed aures, dentes, gingivas pervagabatur: atque eo demum atrociter insaeviit, ut, erumpente per aures humore quodam putrido, necessarium judicaverit, artem medicam experiri. Cauterium cruri applicari praecepit Medicus, ut, ulcusculo sensim facto, cursantes perniciose humores illac depellendi confluerent. E vestigio praecipienti obsecutus est; postridie vero, ne a Missae sacrificio abstineret, iter omittere non credidit, quod passuum circiter mille facere quotidie solebat. Atque hinc horribilem in modum vulnus intumescere, rubere,

bere, in erysipelas desinere. Secunda pollicebatur Medicus, ea tantum conditione, si dolentem partem ferro scarificari pateretur aegrotus. Ille ad tam acerbam sententiam minime exterritus, quaecunque Medicus imperaret, subiturum se se pronuntiat; unum postulans pro die carnificinae, ut imago Cordis Jesu in adverso pariete appenderetur: quam imaginem intuens cruciatuum tempore, sperabat se facilius ad christianam tolerantiam componere. Venit praefinita dies, comparet chirurgus, crudelia parat instrumenta, carnem secat, neque vero patientis vultum tranquillitas deserit: ut tantam conspicatus fortitudinem, attonito similis chirurgus exclamaverit: *Ea nimirum animi constantia, et magnitudine deberent esse, qui ducunt in bello milites; qui in urbes irrumpunt.* Atqui satis probatum est Marci Tullii effatum in Epicuri deliramenta: *Virtutis, magnitudinis animi, patientiae, fortitudinis fomentis dolor mitigari solet.* Iterum, tertio, quartoque ad incisionem ventum est: quo vultu, et fortitudinis laude primum, sui semper similis iterata sustinuit tormenta. Tres totos menses Chirurgi potestati subjacuit; post quos tandem convalescere coepit, gressuque pedetentim recuperato, domi deambulare. Nunquam vero solutus omnino fuit ab inveterato illo capitis dolore, a sanguinis exaestuantis ardoribus, a febriculis frequentissimis; proptereaque ex Medici consilio, salubriorem aerem respiraturus, in vicum secessit, cui nomen Matronale Castrum (patrio sermone

Castel

Castel Madama) paucis ab urbe milliaribus. Hoc sane Castrum brevi futurum erat Iragorrii sepulchrum; quod mox videbimus, postquam paucula de virtutibus ejus libaverimus.

Et quidem asserere statim nihil haesitamus, eminuisse Iragorrium earum omnium virtutum laude, ac dignitate, quae perfectum Christi sectatorem constituunt. Mexicanae sanctimoniales Coenobii Divae Theresiae, quibuscum illi intercedebat sacra quaedam necessitudo; pro doloris delinimento, de recens defuncti virtutibus interrogavere per litteras virum optimae fidei, subacti judicii, probatae integritatis, atque in animorum Magisterio expertissimae cognitionis; qui cum hominem apprime novisset, tum ad plures annos intima cum ipso amicitia conjunctus, tum etiam ejus animi arcanorum omnino conscius, plane respondere non distulit: *Si ageretur* (viri responsum fere ad verbum fidelissime verto, ne quid excidat ex tanto testimonio, quod ejusdem litteris autographis est apud me) *si ageretur*, ajebat, *de referendo in Sanctorum album Joanne Francisco Iragorrio, et sacrae Rituum Congregationis ego sederem Consiliarius, nihil opinari dubitarem, virtutibus omnibus illum fuisse insignitum, eo quidem gradu, et sublimitate, qua Christiani solent heroes*. Et certe in Fide religiosissimus fuit a puero: firmissime tenuit mysteria omnia, quin unquam dubitatio vel levis in tranquillam mentem irruperit. Quod profecto quanquam mirum non est in rudibus hominibus, qui quam Fidem acceperunt, immotam

plerunque servant, fortasse quod beata ignorantia nesciunt dubitare; perquamrarum tamen arbitror in Sapientibus, qui et populum erudituri Magistri, et in Scholae velitationibus ingenium probaturi, et doctrinae sacrae depositum caste, ac religiose tuituri, mysteriorum Fidei difficultates perpendunt, et serio cogitant: quibus propterea operae pretium est, ingenti sane merito, Fidei captivam ducere mentem in obsequium dicentis Dei. Ab illucescente ratione, mirifice in hac virtute confirmatus Iragorrius, videbatur tanquam in speculo quodam suismet oculis intueri, quaecunque Deus credenda mortalibus patefecit. Id ipse mira sincerae naturae facilitate palam fatebatur, atque inter plura sibi a Deo collata beneficia grato animo referebat. Atque hinc illa propensio ad colloquendum de Divinis, et suavissime deveniendum in supremi Numinis cogitationem; quidquid obvium casu videret, quidquid in familiari consuetudine de humanis etiam rebus ageretur, quidquid sive prosperum, sive infaustum, inopinato contingeret: ut omnino asseverari possit, nihil interrupta deprecatione in Deum fuisse intentum, qui a fluxarum rerum aspectu ad earundem Creatoris bonitatem, potentiamque rapiebatur. Nec minoris erat magnitudinis eximia illa spes, de qua nullo externo discrimine, nullo conscientiae tumultu, aut animi angore dejectus unquam est. Credebat se totum suavissimi Dei misericordiae, nihil pavidus ad mali doemonis artes, de auxilio securus ad coronam promerendam,

dam, certus insuper, opitulante Numine, de victoria. Quod siquis ipsum conveniret, qui vel paululum nutaret in Divina fiducia, tunc enimvero facundia ultra modum mirabili Omnipotentis clementiam, et mansuetudinem extollebat: *Cujus*, nimirum ajebat, *opera sumus; qui, quales nos creaverit, infirmos, vasa lutea portantes, novit optime; qui carne amictus, languores nostros tulit; cui, nos aeternum salvos ut faciat, par est potestas voluntati*. Et profecto, cum de hujusmodi rebus loqueretur, ea verbis ejus inerat vis, et efficacia; ut nullus esset, utcunque agitata conscientia, et teterrimis angustiis opprimeretur, qui tam diserte praedicanti Divinam Bonitatem resisteret. Universim notum erat peculiare hoc donum afflictos consolandi animos, quo excelluit Iragorrius.

Divinae charitatis aestu agitabatur, ad opera in dilecti Numinis honorem urgebatur, ad intimam cum eodem conjunctionem inflammabatur. Id satis probant et castigatae vitae constantissimus tenor, et praecepta christianae legis ad unguem custodita, et criminis odium nullis mali Genii fallaciis, nullis carnis illecebris placandum, et pavor incredibilis ad ejusdem criminis vel remotum periculum. Vocem Numinis ad sudores pro salute animorum vocantis, alacriter, fideliterque secutus est; rebus omnibus nuntium ex animo remisit a florida adolescentia; cunctis mortalibus delitiis Divinam voluntatem antetulit. Deum Hominem, hominum Servatorem, tam exaestuanti, quam grato dile-

 xit

xit ardore; atque ut amore amorem, qua licebat, rependeret, singulari pietate fuit erga ipsius Jesu Cor. Ex hac in Deum, et Jesum charitate tanquam jure fluebat religiosa in coelestes incolas pietas, et praesertim in Mariam Virginem, quam summis in amoribus habuit, et cujus in conceptu a primaeva culpa immunitatem ferventissimus coluit. Eamdem Virginem, pro mortalium amore transfixam doloribus, maxima veneratione prosequebatur, et mira suavitate perfusus tum sibi, tum aliis, et privatim, et e suggestu in mentem revocabat. Ex hac etiam charitate fluebant ardentia illa vota, et conatus ingentes, ut peccatores e criminum coeno emergerent, ut universum hominum genus ad Dei amorem alliceretur. Mitto repetere, quantum hoc nomine adlaboraverit in concionibus, et quanta fuerit alacritate in concedendis auribus pro poenitentiae tribunali. Cum id ultra efficere non potuit; assiduis ad Deum precibus, blandisque ad homines verbis, et salutaribus effatis, cum se dabat occasio, animorum bono intendere non cessavit. In familiaribus congressibus egregie industrius erat ad insinuandum se se, ac suavissima facundia irrependum in colloquentium voluntates; atque ut pauca dederat sermoni de rebus aliis instituto, ad pium animorum profectum sensim, et sine aliorum fastidio deflectebat. Corporum etiam indigentiae, quocunque pacto poterat, subvenire gratissimum illi fuit. Nunquam, si haberet, petenti denegavit; quin imo libentissime spolia-

batur

batur interdum iis, quae sibi necessaria essent; ut generosae voluntati alios adjuvandi sufficeret. Magister philosophiae biennium totum a coccolato abstinuit; ut, eo divendito, auditoris cujusdam indigentiae succurreret. Olim etiam cum nescio quid pro cultu corporis, de more sibi dandum esset; ab Superiore impetravit, ut in pecunia numerata id acciperet, bono quidem publico discipulorum eroganda. Bononiae cum immoraretur, ab amico moriente unciales argenteos viginti quinque habuit, ut totidem piacularia sacra pro defuncti manibus faceret: sacra utique peregit Iragorrius; pecunias autem, ut acceperat, nec obolo sibi reservato, indigentibus distribuit. Hoc uno videlicet nomine quandoque habere desiderabat; ut vix res in suam potestatem venirent, inopum essent emolumento: quibus ex animo donasset, quidquid sibi erat, victurus ipse interea cibo emendicato; nisi ex potestate vetuisset, qui conscientiam ejus moderabatur.

Et qui res omnes eatenus aestimavit, ut eas in misericordiae usum converteret; nihil mirum est, firmissime adhaesisse religiosae inopiae, cui devinxerat animum sacramento. Unum sibi quaerendas divitias coelestes ratus; quidquid caducorum esset, nihili aestimandum judicavit. Proinde praeter necessariam homini pauperrimo supellectilem, nihil possidebat Iragorrius, nisi pauculos libros, qui vel mentem erudirent, vel animum inflammarent; atque honesta indumenta, in quibus amabat quidem munditiem, mini-

me vero elegantiam. In castimoniae laude fuit eximius, atque ubilibet notus inter praecipuas ejus virtutes virginalis candor. Nunquam verba, nisi ad pudicitiae normam composita, ex ejus ore audita sunt: et quoties vel in privata cum familiaribus consuetudine sermo contingeret, vel in publicis concionibus rem consulto pertractandam assumeret; facile profecto apparebat, quanti aestimabat purissimum illum flosculum, quem ad amplectendum toto virium conatu cohortabatur homines, quem fervidissima eloquentia Deo perquamcharum praedicabat, quem praesertim apud juvenes pulcherrimis descriptum coloribus exponebat. Nulla unquam illi, nisi ad gravitatis, et modestiae terminos, amicitia; nulla cum sequiori sexu consuetudo, nisi et euntem ipsum ferret urbana charitas, et loquentem dirigeret virginalis pudor, et recedentem comitaretur innocentia. Hunc eundem flosculum, ne scilicet vel minimum mortalitatis injuria marcesceret, voluntaria sepiebat in semetipsum asperitate, ac fere nunquam interrupta inedia. Obedientiam singulari studio, mirabilique alacritate prosecutus est: dum ejusdem voto in Societate fuit obstrictus, nunquam non pependit a Superiorum voce, quorum imperium quodlibet ipsi erat sane instar oraculi. Utcunque jactaretur angorum fluctibus, aut opprimeretur infirma valetudine; non alibi quaerebat pacem, nisi in Moderatorum obsequio, in quorum verba juraverat, et quorum nutui solatium animi, et salutem corpo-

ris

ris libentissime posthabebat. Societatis rebus eversis, ultro sibi Superiorem obediendum elegit Sacerdotem illum, cui omnes animi sui latebras, et recessus patefecerat: eique ad postrema vitae tempora ita obtemperavit, ut in omnem partem ejus arbitratu versari paratissimo esset animo; atque adeo palam asseruerit, nihil se dubitaturum exequi sine ulla tergiversatione, quidquid ille, utcunque arduum, imperaret. Porro Sacerdos ipse, sincera inprimis fide, testatur, nunquam Iragorrium toto illo tempore à suis consiliis vel transversum unguem discessisse.

Homo numeris omnibus absolutus, de semet ipso demississime sentiebat: erat, ut demonstratum est, ingenio praeditus, claro admodum, et facili; quod insuper indefesso studio excultum, et perpolitum cum fuisset, in eum doctrinae gradum venerat Iragorrius, ut posset cum plausu non vulgari cuicunque muneri satisfacere. Ad haec, dono consilii, quod etiam memoravimus, videbatur divinitus instructus; cujus praecipuae dotis et plura habuimus documenta, et luculentissimus testis est Sacerdos quidam, boni olim nominis in litteraria palaestrâ, et clarissimae probitatis in Mexicanis, qui apud me affirmare non dubitavit: serenum se, ac tranquillum requievisse, quoties, cogitationum suarum aestibus Iragorrio patefactis, consilium ejus inaudiebat. Et tamen homo hic, tantis ornatus dotibus ad officia quaelibet subeunda, injuste sibi persuaserat, ingenio se ni-

hili esse, nec satis habere doctrinae, ut aures praestare posset sacrae poenitentiae Minister: a qua certe abstinuisset opera; nisi, ut non abstineret, alieno imperio cogeretur. In Christiana tolerantia sane perquamillustris fuit, atque ea sola satis erat virtus, quae virum hunc laude, ac memoria dignum effecisset: nam et indole, quod diximus, erat praefervida, et in humano commercio falsis imaginibus, tanquam in se offensi essent homines, illudebatur; atque hinc in familiari cum Sociis consuetudine taedia ipsi, et suspiciones perperam nascebantur: quae naturae vitia ut suffocaret, opus erat secum ipso continenter praeliari. Et quidem inter haec vix interrupta praelia nihil ab religiosa dignitate recedere, atque in tot hominum contubernio suavissimum vultum apud omnes componere; hoc enimvero dicam opus omnino tribuendum eximiae fortitudini. Praeterea grandem illum animum perpetuo cruciavit adversa valetudo: quin et assiduae in studiorum curriculis, et Magisteriis defatigationes, et vigiliae; actuosa sedulitas in muneribus adimplendis; ingentia mari, terraque tum incommoda, tum discrimina; totius vitae series tot nominibus laboriosa; haec, inquam, omnia multo illi difficiliora fuere a valetudinis tormento. Maxime vero tentavit Iragorrium Deus agitatae conscientiae obscuritatibus: etenim sive ii, quibus utebatur Moderatoribus, intimos animi recessus aperientem intelligere satis non poterant; sive Deus, qui mentes hominum, prout vult, aut illuminat,

aut

aut excaecat, lumen pro capiendis illis Iragorrio denegaverit, nimirum ad cumulatiorem ejus coronam; id certum est, perpetuos animi angores habuisse illum vitae comites, et gravissimos terrores, titubationes, intestinos fluctus in densissimis mentis tenebris pertulisse. Quae tacita, et immanis luctatio diuturna sane fuit: nec enim ante cessavit, quam Bononiae immorans, forte repererit Sacerdotem a confessionibus; qui cum afflicti tumultus intelligeret, et vicissim ab illo intelligeretur, tot jam annos perturbato animo serenitatem restituit; atque ex eo tempore (Sacerdotis ipsius verba exscribo) mirum est, in semita sublimissimae perfectionis quantum seu cucurrerit, seu volaverit Iragorrius.

Ergo Julio mense, anno post extinctam Societatem decimo, ex consilio Medici Matronale Castrum contendit, in quo aestivos ardores Urbis declinaret. Atque initio quidem insidiosa malacia: nam et hilaritate fuit insolita, et appositos cibos quamlibenter gustabat, et dolore capitis, tot ante annis obstinato, solutus fere videbatur. Per eos dies vitae rationem iniit sibi jucundissimam, atque ab omni humana sollicitudine liberam: mane ut primum surrexerat, certumque Divinis meditationibus tempus dederat, reverenter de more ad Aram faciebat: inde Sacerdotali precatione Numini persoluta, quod diei supererat, honestae dabat remissioni: nam aut solus per amoena circumjecta expatiabatur, oculosque pascebat agrorum venustate;

aut

aut domi de coelestibus rebus colloquebatur cum viro mansuetae indolis, olim ad Socios Adjutore; aut tacita secum cogitatione rerum omnium Factorem in suis operibus adorabat; aut congregatos ad se pueros, quorum innocentia delectabatur inprimis, Fidei rudimenta edocebat, et munuscula, ut facilius ipsos ad rem Divinam audiendam alliceret, largiebatur. Quo in ministerio verba illa Servatoris Jesu dulcissime repetebat: *Sinite parvulos venire ad me*. Caetera cunctos urbane salutabat; cum nullo tamen oppidanorum consuetudinem iniit. Hac tam gravi, religiosa, et tranquilla vivendi ratione, omnium sibi venerationem conciliavit; et vel eminus illum intuentes, facile odorabantur, virum probum, pietate illustrem, atque inter primos justum, ac Deo charum, advenam apud se commorari. Quarto tandem Idus Augusti sensit se repente febri correptum; neque vero indicia apparebant ulla, quae timorem propinquae mortis incuterent. Ita decem toti dies nulla trepidatione transierant; cum quintodecimo Kalendas Septembres, tribus horis ante occasum Solis agitari praeter modum coepit, lethaliterque praecordia exuri cognovit. Confestim Sacro Viatico muniri postulavit; quod eo quidem animi fervore suscepit, quasi plane certus esset, postremum fore diem, in quo tantus Hospes ad se mortalem veniret. Nulla deinde mora, cum malum ingravesceret, Sacro unctus est Oleo, et post paucas horas proficiscens anima Creatori de ritu Ecclesiae com-

commendata; ipsomet ad pias preces elata voce respondente. Tranquillo vultu intuebatur mortis aspectum; jam proxime corporea sibi vincula soluturae; quin et Socio; qui lecto assidebat; et pro momenti periculo consentanea suggerebat, cum pia illa m:morasset: *Laetantes ibimus in domum Domini*: hoc eodem usus verbo moribundus; respondit fidenter: *Equidem ibo laetantissimus*: et post modicum temporis, exeunte fere secunda noctis vigilia; mortalitatem deposuit. Ingens oppidanorum concursus eadem ipsa nocte ad recens d:functi domum factus est; q:i genibus provoluti Deum orabant; cadaver circumdantes, cujus pedes certatim deosculabantur; frustumque vestis, tanquam pignus animae superis charissimae; sibi effiagitabant. Puerorum maxime, quos inprimis dilexerat, innocens turba confluxit; qui amotem benefici Patris (ut vocabant) et precibus, et lacrimis rependebant. Nullus in demortui vultu pallor extitit; nulla mortis indicia: serenam faciem; et rubicundum colorem; quem in vivis habuerat; in feretro retinuit. Quae res ostenfo similis visa, circumfusae multitudinis oculos, et mentem defixit: ut aperte dicerent alii; cadaver illud non esse; alii vero affirmarent; vestigia non obscura beatae aeternitatis reliquisse animam; cum ad Superos evolavit. Sacerdotes; quotquot inibi erant; pium Sodalitium in eo Castro stabilitum, atque ingens accolarum frequentia; funeralium officiorum celebritatem auxerunt. In Sacello

Divi

Divi Josephi ad Laurentinas Aedes, ubi gentilitium sepulchrum est familiae Cortesiae, ibi gentium praecipuae; hac eadem familia pie volente, ac generose invitante, cineres jacent Joannis Francisci Iragorrii. Sacerdos, ejus olim familiaris, et conscientiae Moderator, qui Romae commorans, vocatus fuerat, animam agenti astiturus; etsi nulla mora itineri se se commiserit, eo tamen pervenit tempore, ut vita jam functum comploraret. Porro quicunque potuimus cominus perpendere viri hujus praeclarissimas dotes; lacrimas etiamnunc tribuimus, amoris, et venerationis monumentum.

JOSEPHUS BELLIDUS.

SAtis in Mexicana Provincia notum est, ac singulari veneratione habitum Josephi Bellidi nomen, cui Granata in Hispania patriam dedit; vitam autem decimo Kalendas Quintiles, anno post millesimum septingentesimo, praeclarissimi genere Parentes Eugenius Bellidus, et Florentina Sanchezia, qui uterque Senatores Regios in gentilitio sanguine numerabant. Ut familia vero, ita et pietate illustres erant: proinde puerum Josephum pene ab incunabulis ad religiosos mores, et castum Dei timorem instituerunt. Ut primum visus fuit ad eam aetatem pervenisse, in qua mentem litteris posset advertere; Magistris erudiendus traditur, a quibus grammatica rudimenta edoceretur. Et hic occasionem habuit propius accedendi, et pene familiari consuetudine agendi cum Emmanuele Padiali, Baetico illo Socio, cui percelebre nomen erat ab eximia pietate, moribusque castigatissimis: quam sane consuetudinem, quoad vixit Josephus, bonam suae pueritiae fortunam vocabat; ut etiam memorabat non sine grati animi significatione postremum amplexum, quo vir ille pius Granata proficiscentem peramanter impertivit. A paternis laribus excessit anno aetatis quarto decimo, vocatus a Patruo Stephano Bellido, qui Pontifex

tifex moderabatur Palentinam Ecclesiam. Hic profecto cum a Josephi pueritia mature praenovisset, quantus esset ingenio, et vitae sanctimonia futurus adolescens; illum animo destinarat, qui, quod clarum acceperat gentilitium nomen, illustrius aliquando redderet Ecclesiae dignitatibus. Itaque ad eos, quos vocant Minores Ordines, volentem, et sane meritis comparatum promovit; Ecclesiastico jam tunc proventu ditavit; ac de ipso informando ad aulae Sacerdotalis negotia, diligentissime curavit. Sed nimirum quem ad mundi honores, et caducam excellentiam instituebant homines; hunc sibi consecrandum Deus in religiosa tenuitate delegerat. Aetate, ac virtutibus crescentem juvenem vocabat ad se Supremus rerum Arbiter, et salutis aeternae cura tacite injecta, misericors invitabat, ut hominum pollicitationes, mundi splendorem, aulicorum delitias, inopi temperantiae, contemptaeque demissioni posthaberet. Nec incassum hae Numinis voces ad Josephum, qui liberali, pronaque in pietatem natus indole, jam ab eo tempore ad quaerenda coelestia festinabat. Utique statim ab exacto philosophiae curriculo, Jesuitarum numero adscribi enixissime postulavit. Aegre consensit Patruus Pontifex, aegerrime Parentes, qui de familiae amplitudine, a juvene tanti meriti adaugenda, ingentem spem enutriebant. Utcunque tamen illorum venia exorata, Villagarciam contendit, ubi ad ulterioris Castellae Socios adlectus, tirocinium exorsus est sexto Kalendas Ma-

jas;

jas, anno saeculi praesentis duodevicesimo. Boni ominis auspicium fuere virtutes illae, quibus ornatus illico tiro comparuit: tempestivum enim silentium, oculorum modestia, christiana demissio, fluxarum rerum contemptus, meditationum studium, quibus excellere in ipso religiosae vitae exordio visus est, mirifice juvenem exornabant: quas omnes virtutes adeo constanter coluit diuturnae aetatis tempore, ut hominis apprime probi, ac Deo chari perfectissimum exemplar evaserit. Enitebat etiam insignis ejus pietas in Mariam Reginam Virginum, quam et singulari amore prosequi ab illis initiis didicerat, et nullo non officio tentabat sibi Matrem demereri. Anno ineunte tirocinii secundo, scriptum sua manu signavit, quo tantae Dominae perpetuo famulatui ultro semet obstringebat, infimisque precibus ipsam obtestabatur, ne parvulum donum gravaretur accipere. Hodie sunt apud me autographae istae, quas ille suae servitutis testes litteras appellabat; eoque pietatem redolent, ac talibus indiciis exaestuantis in corde amoris conceptae sunt, ut nullus admirationi sit locus ad suavitatem illam, qua perfundi videbatur, quoties in sermones de Maria Virgine incidebat.

Maxima cum laude biennio exacto, quo Societatis tirones probabantur, Methimnam Vaccaeorum jubetur contendere, philosophiae periculum subiturus: in quo quidem periculo cum se Magistris, ut pro illa aetate, probasset egregie instructum philosophicis cognitionibus; con-

tinuo

tinuo ab hisce naturalibus ad Theologicas persequendas vertit animum. In eo Collegio, ut Granatae Padialem, virum alium virtutibus perillustrem destinavit Bellido Deus: quo nimirum dum studia Divinae Scientiae ad exercenda olim Societatis ministeria referebat, exemplo ferventissimi Socii ad excelsae perfectionis amorem excitaretur. Erat hic Petrus Calatajudius, in eodem Collegio tunc temporis Minister, nulli postmodum per Hispaniam universam non cognitus, ingentibus laboribus Apostoli nomen sibi meritus: quem virum ut nos etiam Bononiae novisse, communi calamitati debemus; ita et in eadem urbe ante annos fere sexdecim vita functum, cum Sociis omnibus comploravimus. Quid commercii divini per eos dies fuerit inter duos illos adeo consimiles eadem virtutis conformatione viros, nescimus omnino; id tamen certum est, maturiori aetate Ministrum junioris Josephi virtutem magnifecisse; quod utique probavit, cum exulem exul, senem senior, maximis laetitiae signis post longam annorum seriem Bononiae amplexus est. Hujus fortasse adminiculo ad exequendam cogitationem, quam ante dies aliquot fovebat, erectus Josephus fuit: vocari enim credebat, ut longe ab amicis, a Parentibus, a patria dulcedine, sequeretur invitantem Deum, ac totum charitatis ardorem percupidus verteret ad disseminandam inter Ethnicos fidem christianam, remotosque populos ab errore ad rectam semitam traducendos. Rem hanc magni momenti maturo judicio cum per-

pen-

pendisset, voci tandem obtemperavit, quam Divinam existimabat; et nihil commotus ad acerbum dolorem, quem nobilissimae cognationi afferre posset inopinatus hic nuntius; mentem aperuit suam Generali Societatis Praeposito, demissis precibus efflagitans, ut ad Americanam quamlibet Provinciam Socius numeraretur. Annuit postulanti Supremus ille Sociorum Magistratus, et fausto Novae Hispaniae auspicio ad Mexicanos adscribitur. Ut primum data fuit opportunitas, egregie vicit naturae motus, patrio solo valedixit, ab Hispania solvit, et secunda navigatione provectus, in Mexicanum regnum transductus fuit, quod laetus ille attigit, tanquam sibi commissam divinitus vineam, perpetuo sudore vultus excolendam.

Statim a mari Mexicum immittitur, in Collegio Sanctorum Petri, et Pauli absoluturus Theologiae cursum, quem abruperat; post cujus tertium annum Sacris initiatus, in animorum salute desudare coepit, atque alacrem dare operam sacro Confessionum ministerio. Post alterum Theologiae annum, non vulgaris ingenii nomen consecutus, ad Angelopolitanum Sancti Spiritus Collegium proficiscitur, ubi denuo Socii probabantur post elapsa studia, pluribusque pietatis exercitationibus ad animi fervorem excitabantur. Et hic Josephus tanta morum gravitate, judiciique maturitate visus est; ut aetatis anno vix duodetrigesimo, Divi Ildephonsi Ministerium suscipere imperaretur. Aestimabatur hoc munus momenti maximi: quoniam Di-

vi Ildephonsi Ministro Socii credebantur juvenes a tirocinio recens venientes; quo nimirum tempore, solutis arctissimae vitae vinculis, primum illi experiebantur erumpentes motus animi, atque avita mala juventutis; quo etiam tempore incipiebant in mundi theatrum prodire, ad externos verba frequentius facere, cognatos domi visitare, sui quodammodo juris esse, ac rem, ut ajunt, servare suam. Equidem audivisse memini probatissimo judicio virum, qui palam affirmabat, quales ibi juvenes instituerentur, tales deinceps per totum litterarium stadium adolescere, tales etiam senescere per universa Societatis ministeria. Proinde opus eo loci habebant juvenes expertissimo Duce, qui novo constitutos in praelio militarem hanc artem edoceret; ut hic tempestive fugerent; ut ibi ad hostem imperterriti accederent; generatim qui procedentibus in solem, et pulverem, rationem demonstraret utendi armis illis, quae tanquam in scholae umbraculis tirones audierant. Josephus, quanquam aetas muneri gravissimo non videretur idonea, religiosis tamen moribus, et senili considerantia supplebat abunde illa omnia, quae longo annorum usu comparantur; et in tanto administrando officio talem se praestitit juvenum Ducem, ut in Societatis legibus observandis maxime invigilaverit, et prudentis gubernationis indicia non levia dederit. Annum hic expleverat, cum renuntiatur Magister, qui externis pueris philosophiam traderet Anticariae in Mexicanis; quod Magisterium secundo etiam

trien-

triennio ad Angelopolitanos exercuit. Utrobique diligentissimus explanavit quaestiones illas, quam puerorum captui difficiles, tam operosas Magistro; qui tamen nulli parcebat vigilantiae, ac labori, ut alias ad scientias disponerentur auditorum ingenia, quae tunc per vepres, et salebras incedebant. Neque dum litteris imbuebat juvenes, a Christiana, et civili ipsorum institutione abstinebat; quod probe intelligebat potissimum fuisse Lojolae propositum, cum Socios voluit intendere adolescentibus educandis. Hac usus diligenti accuratione, discipulos informavit, qui claruere postmodum in litteraria, et civili Republica; praesertim Anticariae florentissimos habuit ingenio, et pietate auditores; quorum qui primos tunc honores adeptus est Josephus Carolus Aguerus, Jacobaeus Eques, nobilissima gente natus Mexici, post philosophicam eam laudem translatus ad Patruum, Caesaraugustae in Hispanis Pontificem, ibi gentium peramplo Sacerdotio donatus est; verum cum ad promerendum in armis, natura pronum se diceret, Ecclesiastico splendore posthabito, ad militaria signa se contulit; et in Regios Custodes, quos Hispanos dicunt, adlectus, cum multa hic stipendia meruisset, promotus ad militares gradus vel praecipuos in Hispaniis, tum Veteri, tum Nova; Dignitatibus, et Praefecturis cum singulari laude integritatis, et abstinentiae summae functus est: donec Valentiae in Tarraconensibus diem obiit supremum, atque ob eximias ejus dotes, et praecipuam pie-

tatem communibus bonorum lacrimis parentatum illi fuit.

Vix ab hoc munere tradendae philosophiae cessaverat Bellidus, cum Thologiae Magister designatus, ire jubetur in Novae Galleciae urbem principem, quam Guadalaxaram appellant; quibus incolis (quod ipse multis post annis grati animi significatione memorabat) sane fuit quamcharissimus: quanquam enim in cubiculi silentio libentissime celabatur; nihilo tamen secius et ratione Magisterii, cui solicitam navabat operam; et ab assiduitate in poenitentiae tribunali; et a sacris orationibus, quibus et clarum nomen, et ingentes plausus promeruit; latere certe non poterant hominis dotes, quae ipsi cunctorum ordinum benevolentiam, et virorum pietate celebriorum amicitiam, et familiaritatem ubilibet conciliarunt. Conciliaverant in Vaccaeis, ut vidimus, Calatajudium; conciliaverunt Tepotzotlani, ut videbimus, Marquezium; Angelopoli Lizardium; conciliaverunt et hoc tempore, cum Guadalaxarae Magistrum ageret, Felicianum Pimentelum, Sanluisiensem in Potosinis Novae Hspaniae, Socium in Neogallaecis percelebri inprimis fama; quem et a vitae sanctimonia, et a gestis in Reipublicae bonum, et a dexteritate agendi, et a communibus in se omnium studiis, et a relictis publicae utilitatis monumentis perinsignem nunquam non laudabit Mexicana posteritas. Hic fuit ille Pimentelus, qui praeter alia magnanima facinora, solus quidem, nullo humano patrocinio

suf-

suffultus, contra universorum spem, mirantibus cunctis veluti ad prodigium quoddam, a fundamentis magnificentissime condidit, constituit, Regiaque, ac Pontificia auctoritate firmavit amplissimum sacrarum Virginum gynaeceum, quibus Monicae, Augustini Matris, et nomen, et virtutes addixit. Huic Pimentelo discipulus erat, Magistro certe non inferior, Joannes Riosius, Gaditanus, qui ab opulenta mercatura vocatus ad Clerum, totum se se Feliciano tradidit in virtute formandum, a quo miris modis primum severe probatus, deinde sub tali disciplina Sacerdos initiatus, vitam sanctissime peregit, ac Pimentelo fuit in rebus agendis eximius administer, et procurator. Quo in ministerio mirum erat, hominem praegrandi statura, ingenti, atque ampla crassi corporis mole, hac illac asello insidentem per universam provinciam, per frigora, per aestus circumvagari, quo mendicata stipes in fabricam Sanctimonialium, quas diximus, conferretur. Joannes hac mirabili vitae ratione, prodigialiter etiam a malo genio divexatus, incredibili patientia, et quibusdam obedientiae tanquam miraculis, aetatem egit meritis plenam ad postremum usque spiritum, atque eodem, quo Pimentelus, loco sepultus est, parique honore utriusque imagines posteris conservantur. Hoc illustre virorum par, Bellido amicissimum Guadalaxarae fuit, quorum familiaritate, atque exemplis ad sublimem sanctimoniam maxime incitabatur; nec sine summae venerationis verbis illos postmodum appellabat.

 Exa-

Exacto cum laude biennio ad Guadalaxarenses, pro eodem Theologiae Magisterio ad Angelopolitanos revocatur in Divi Ildephonsi Collegium. Et hic etiam adhaesit amicitiae sanctae vinculis alteri viro sanctitate clarissimo, Antonio Lizardio, Anticariensi in Novohispanis, ejusdem Collegii ad multos annos Ministro. Quem Lizardium ut universi coluere, sic Bellidus maximis laudibus praedicabat tum a singulari ejus prudentia; tum ab egregia temperantia; tum ab litterarum cognitione, quam vir animo demississimus occulebat industrie; tum vero ab legum Ignatianarum intelligentia, et observantia; ob quas quidem, aliasque animi dotes, et virtutes ubique palam asserebat, Lizardium cum primis Ignatii Sociis omnino conferendum. Adeo viros ubilibet suorum temporum eximios Bellido contubernales, et familiares destinabat Deus! In hoc Divi Ildephonsi Collegio Magistri pietas, et ingenium magis, magisque coeperunt splendescere: ut profecto affirmari possit, existimatum adhuc fuisse, non eum, qui reapse Bellidus erat magnanimae virtutis, et profundissimae doctrinae. Quod ludi litterarii est, ingenti rationum vi firmatas, et mire dilucidatas theses dictabat auditoribus conscribendas, quas accurata meditatione secum tacitus in suis lucubrationibus evolverat: proponebat fideliter, atque enodabat feliciter argumentationes, quae propugnatam sententiam impetebant. In publice defendendis thesibus, magnifaciebat adversarium; cui clare, ac nudis ratio-

rationibus, nihil quaesitis verborum pigmentis, respondebat. In argumentando, sive in domestica palaestra, sive in externis, modestus quidem erat; efficaciter tamen urgebat ad investigandam veritatem. Ita passim per totam urbem inter primi nominis Theologos habebatur. Nec minori fuit laude per ea tempora inter Christianos oratores: ejus enim facundia ita jucunda erat Angelopolitanorum auribus, ut ubique invitaretur, tum ad explananda Fidei mysteria, tum ad coelestium laudes in solemnibus praedicandas. Nunquam vero suggestum ascendebat, quin prius in cubiculi solitudine ad Dei conspectum, quae publice dicturus esset, serio meditaretur; atque intenta precatione vim, et efficaciam suis verbis ab eo, qui dare unus poterat, flagitaret: ut omnino videretur, non se hominibus placere, aut ab oratione laudem sibi quaerere; sed Dei, et animorum negotium alacriter, ac temperanter agere. Bellidum Oratorem ut libentius audirent homines, praeclarae illum tum a natura, tum ab industria dotes exornabant: gravibus enim erat sententiis, profundis cogitatis, robusta eloquentia, gestu modestissimo, praegrandi statura corporis, dignitate vultus decora, voce non quidem gratissima; sed tamen ad movendos animos apprime composita. Haec docendi in ludo, et in concionibus dicendi munera, quae magno civitatis plausu Bellidus exercebat, nihil ipsum impedierunt, quominus confessionum more christiano excipiendarum laboribus assiduam, atque inten-

tam daret operam: et cum videretur veluti divinitus auctus dono moderandi conscientias, ipsasque salutaribus monitis per semitam virtutis rectissime dirigendi; mire ad illum confluebant homines ex omni ordine, qui suum consilium in poenitentiae tribunali perquirerent. Ad Virgines Deo dicatas in pietatis institutionibus adjuvandas, idoneus inprimis judicabatur. In Angelopolitano puellarum Collegio, cui Sanctae Rosae nomen, pene omnes illae Virgines in Josephi disciplinam, et gubernationem convenerant; cujus et pia dexteritas in virtute depingenda pulcherrimis coloribus; et acuta solertia in tractandis, et suaviter coercendis animorum motibus; et castigatissimi mores, quibus praestabat se se perfectionis exemplar; adjumenta fuere maxima, quae complures ut ex illis Virginibus, ita etiam ex universa civitate ad vitam plane caelestibus dignam perduxerunt. Ejusdem pariter consilia multum valuere, ut hoc puellarum Collegium, anteacto saeculo conditum a perillustri Sacerdote Dominicanae familiae, cui cognomen Andia, in coenobium Virginum solemnibus votis Deo sacrarum, anno saeculi currentis quadragesimo erigeretur, et subinde in eam exquisitissimae virtutis normam deveniret, ut possimus gynaeceum istud Jesu Sponsi delitias jure merito appellare. Harum Virginum primam Moderatricem, Mariam a Jesu nuncupatam, Bellidus gubernavit; utique foeminam vaticinationis dono, coelesti sapientia, et portentis nonnullis venerandam: cujus postea vitam typis ille posteritati mandavit. Ad

Ad plures annos unus ille suffecerat tot muneribus accurata diligentia exercendis; cum, ineunte Provinciae gubernationem Christophoro Escobario, Tironum Magisterium Bellido defertur, qui nondum quadragesimum tertium aetatis annum expleverat. Quanto autem merito ad hoc momenti gravissimi officium ascenderit, luculentum fuit testimonium Josephus Genovesius, qui tunc ab eo munere cessabat. Demonstravimus alibi, qualis fuerit Panormitanus iste, modestia egregius, carnis maceratione insignis, Divinarum meditationum studio percelebris, Fide in Numen reverenti clarissimus, ad animos excolendos coelesti lumine inprimis ornatus. Hic ergo cum audiisset, quis mitteretur sibi successor, aperte asseveravit: *Plures fortasse reperiri Socios tanto dignos Magisterio; aptiorem autem Bellido neminem quidem in universa Mexicana Provincia*. Et certe adivit hanc Dignitatem cunctis instructus dotibus, quae pro tironum Moderatore desiderantur: nam ultra pietatem, et doctrinam, quibus excellebat inter primos; erat etiam sagacitatis incredibilis ad dignoscendos hominum affectus vel a primo congressu, et fere dicam, ab ipso corporis gestu, et motione; vim persuadendi habebat, ingenitamque prudentiam, ac dexteritatem ad tractandos animos, et eos, quo vellet, dirigendos; erat pariter ingenii natura facilis, et festivae comitatis, quae sibi omnium benevolentiam, nihil a debita ipsius auctoritati reverentia sejunctam, conciliabat. Hanc tamen facilitatem (fatendum enim

est,

est, ne fidem historiae videamur corrumpere) post aliquot gubernationis annos omnino deposuit, vultumque apud Subditos asperum, atque ad severitatem conformatum supercilium, contra quam nativa indoles erat, induere visus est. Nullum uspiam tractabat asperis verbis; pauca tamen dispensabat, eaque fere, quae prae reverentia timorem incuterent. Fortasse talem se praestitit, quod perperam metueret, ne vultus affabilitas ansam praeberet evertendae domesticae disciplinae, custodiae legum enervandae. Id ego cum cogito, nihil sane deficio a praeconcepta veneratione, ac studio in virum excelsis virtutibus ornatum, atque ab illis Numini sine dubio charissimum; sed continuo ploranda mihi occurrit mortalis infirmitas. Nimirum ut nullam novimus humanam sortem, quae a malis liquida sit, et sincera; ita nulla est in homine sanctitas, vel eximia, omnino ab erratis, aut certe a falsis opinionibus libera! Quod autem ad tirones attinet, illos optime Bellidus erudivit, ad Lojolae mentem ipsorum mores informavit, salutaribus tempestive adhibitis consiliis ad religiosam perfectionem provexit. Siquid reprehensione dignum in ejus notitiam veniret, non praetermittebat ad noxium verba facere; longe tamen aberat a Subditorum factis nimium curiose investigandis; Augustini consilium libentissime secutus: *Corrige, quae videas; ne videas, ut corrigas*. Illud etiam Lojolae effatum persaepe m·morabat: Unumquemque duci debere ad virtutum perfectionem interna charita-

tis

tis lege, quam Spiritus Sanctus in cordibus nostris insculpit. Proinde abstinuit semper a novis ferendis legibus; et exemplo magis, quam verbis, imperabat. In illo virtutum plantario, ubi tot juvenes primis pietatis ardoribus agitati, se se mutuo ad coelestem vitam instimulabant; nullus erat tam fervidus, atque in observanda domestica disciplina solicitus, qui mane in Sacellum contendens pro quotidiana meditationis hora, Moderatorem a multo tempore orantem genibus flexis in Sacrario ipso non inveniret. Primus aspiciebatur Bellidus, quoties ad religiosam temporis distributionem vocabat aes campanum; ut primus erat modestia, primus etiam silentio. Potissimum hortabatur tirones ad solidum pietatis aedificium extruendum; et ferventissimis instabat verbis, nihil ea curanda, quae virtutes quidem apparent extrinsecus; intus autem si prospexeris, inania simulacra sunt. In domesticis illis ad tirones concionibus mirabilem, et efficacissimam facundiam profundebat, et nunquam non compositam ad motus animi excitandos. Haec egomet audivi a quodam ejus temporis tirone: *Nulla erat Bellidi ad nos dicentis oratio, quae non animos inflammaret; nulla, quae non permoveret ad eas desiderandas virtutes, quas laudaverat, aut ea fugienda errata, quae incesserat*. Hoc tanto tironum Magistro, Minister ipsorum renuntiatus est Augustinus Marquezius, quem eximia sanctimonia virum separatim descripsimus. Atque ut ignem igni si adjeceris, flamma consurgit vehementior; ita duo

illi

illi Divino amore praeusti homines, alter ad alterius proximitatem, maximopere in virtutibus increverunt. Equidem beatos dicam tirones, quibus contigit eodem habere tempore Ministrum Marquezium, Bellidum Magistrum. Videbantur hi athletae gemini, qui sponsione se mutuo lacessierant, uter utrum et mente ad Superos intenta, et pluribus meditationis horis, et demissa modestia, et voluntaria inedia, et acerba qualibet castigatione corporis antecelleret. Se se invicem in quotidianis fovebant colloquiis, atque ad ulteriores in perfectione progressus incitabant. Id autem discriminis erat inter utrumque, quod Marquezius in suammet carnem austerus, auctor etiam aliis erat (non importune quidem opinionem intrudendo; sed certe austeritatis exempla tempestive laudando, atque ad ea imitanda suaviter cohortando) ut inedia se, ac flagellis affligerent; Bellidus autem in se crudeliter insaeviens, tenerae parem aetati macerationem duntaxat permittebat.

Talis fuit Josephus ad septem annos, et menses aliquot, quibus tirones gubernavit; a quo dein munere ad Zacatechos missus est, Collegii Sociorum Moderator. Ibi autem triennium de more non exegit: nam post annum vocatus Mexicum, ubi jure suffragii Rectores omnes interesse debebant celebrandis Comitiis, quae domestico vocabulo *Procuratoria* consueverant appellari; designatus est ipse Bellidus viae comes Joanni Francisco Lopezio, quem ad Hispanam Regiam, et Romam Comitia dixerant

rant

rant Mexicanae Provinciae Procuratorem. Bellidus, celebrato Conventu, Tepotzotlanum recessit, praestolaturus viae tempus, quam sibi arripiendam esse non tutum existimavit, nisi sacris meditationibus per dies octo praemuniretur. Ut navis fuit opportunitas, terrestri primum itineri, deinde navigationi se dederunt, atque immenso transacto pelago, cum Gades appulsi fuissent; nec patriam Bellidus attigit, quod sane poterat, nec familiam clarissimam salutavit. Matritum recta pro expediendis Provinciae negotiis, atque inde Romam contenderunt; mirantibus universis, ad quos illi diversabantur, modestam, religiosam, atque urbanam Bellidi consuetudinem. Et a pluribus quidem tam grato virtutum odore ut acquisivit sibi reverentiam, atque ad longos annos amicitiam; ita et bonum nomen Mexicanorum, quibuscum tot annos vixerat, apud exteros confirmavit. Id enimvero suspiciendum maxime omnes arbitrabantur, quod homo ab altero veniens orbe, nihil moveretur ad Europae magnificentiam curiosis oculis perlustrandam. Ad sacras Aedes invisendas, ad sanctorum cineres veneratione colendos, et quidquid pietatis monumentum est, omnino promptus domo videbatur egredi; odora vero, et amoena viridaria, magnificenter constructa suburbana, decora palatia, deauratae rhedae, marmorei fontes, conspicuae imagines, et sexcenta id generis, quae plurium venustissimae Europae civitatum, Regiarum praesertim, majestatem constituunt; nec minimum

qui-

quidem ipsius curiosos oculos titillabant, neque vero unquam suamet sponte illa intueri dignatus est. Interea vero paratus erat quocunque pergere, ut primum appareret imperantis Procuratoris voluntas; et Lopezio postmodum aperte ad omnes narrante, intellectum est, Bellidum immenso illo itinere, ac diuturnis ad Socios Europaeos mansionibus, totum se ad ipsius Lopezii arbitrium, nutumque accommodasse. Neque id solummodo, cum Procurator juberet ex munere; sed in minimis quibusque rebus, quae inter individuos vitae quotidianae comites causa solent esse diverse opinandi, Lopezii voluntatem rimari tentabat, ut eo semet etiam propensum componeret. Quod profecto, sine ingenti de suis animi motibus victoria, obtinere non poterat; cum de conciliandis ageretur ingeniis, toto coelo a natura inter se dissimilibus.

Provinciae tandem restitutus, cum summa omnium laude peregisset, quae Socii complures proficiscenti ad Europam commiserant, Professorum domus Praepositus creatur, quam triennio gubernaret. Erat Praepositi munus, praeter domus administrationem, vices agere Provinciae Praesidis, quoties hic, officii partes impleturus, abesse Mexico tenebatur. Eo toto tempore Bellidus, qua vigilantia domesticis rebus, eadem intendebat expediendis negotiis aliunde insurgentibus. Magnum quidem christianae prudentiae, ac solidae pietatis nomen per universam Provinciam sibi comparavit eo triennio: quo demum

mum elapso, ad praecipuum Sanctorum Petri, et Pauli Collegium regendum appellatur. Erudiebantur ibi ad sacram scientiam, morumque doctrinam Socii juvenes, qui ferme ad quinquaginta, et interdum eo amplius, numerabantur. Erant ejusdem Collegii contubernales Magistri tredecim, quorum quatuor pro Sociis ipsis tradenda multiformi Theologia; tres pro adolescentibus externis philosophiam edocendis, cujus auspicando curriculo singulis annis dabatur opera; sex reliqui pro pueris instituendis in rhetorica, poesi, constructione latina, et grammaticis infimis. His adjiciebantur, qui studiorum praefecturam tenebat; qui litterariam lauream egregio merito adeptus, doctrinam Suarezii explanabat Magister in Regali Academia; qui tribus ibi constitutis pro Mariae Virginis obsequio Sodalitatibus praeerant; qui Divinam annuntiantes legem, pagos peragrabant finitimos; qui per urbem ultro, et citro cursabant pro sacris confessionibus operarii; demum pro re curanda domestica, et vitae quotidianae ministeriis nonnulli Adjutores. Facile intelligitur, in tanta munerum varietate, ac Sociorum multitudine, invigilandum esse Moderatori summa solicitudine, atque alacritate, ut suam unusquisque Provinciam ad praescriptas obiret leges. Bellidus ex cubiculi solitudine plura intelligebat, plurima odorabatur, omnibus providebat. Firmissime persuasum habebat, minime oportere, ut, qui Superior est, intime accedat, subditorum exploraturus actiones; at quemadmodum

dum Sol e longinquo mittens radios, terrestria influit in corpora; ita ille in cubiculi secreto positus, charitatis, et prudentiae legibus roborabat fortes, consulebat debilibus, increpabat noxios, exemplo praeibat omnibus, nihil, quod sui esset, omittebat, ut Societatis disciplinam tueretur integram, atque ut sibi subditi ad praescriptionum normam Dei gloriam quaererent, se se ad perfectionem erigerent, animorum saluti prospicerent. Fortasse videar cuipiam, illum hoc extollere nomine ultra historiae fidem; verum mihi facilis est provocatio ad tot nunc etiam superstites, qui testes conspexerunt hanc mirabilem Josephi gubernationem. Et quidem nihil Socii reluctabantur, illum habere Superiorem: nam si unum exceperis, quem severum memoravimus vultum; caetera omnes intelligebant, sacram meditationem, et rectam rationem duas esse bases, quibus hominis illius fulciebatur administratio. Eisdem optimis fundamentis insistens, pro sequenti triennio Moderator fuit in Angelopolitano Sancti Spiritus Collegio; cujus quidem gubernatio non minoris erat aut difficultatis, aut momenti: nam et numerosum erat inprimis, et in urbe positum amplissima, et praeter Socios tertio probandos in virtute (quam institutionem maximi faciebat Societas) illuc fere mittebantur homines defessi laboribus, nutantes valetudine, devexi jam aetate; a quibus profecto, nisi prudentissime te gesseris, exigi non potest par in omnibus religiosae disciplinae custodia: connivendum enim infir-

firmis, connivendum decrepitis; nihilo tamen secius, in ipsa infirmitate, in ipso senio, tenor vitae religiosae a Moderatore strenuo promovendus est. Sed nihil non arduum exsuperat, qui ea mente accedit ad munera, ut Numini honorem, et obsequium tum ab se, tum ab aliis exhibendum procuret. Bellidus, ut semper alibi, cum in omnibus pietatis rebus primus esset exemplo; mirabili studio, et prudenti vigilantia intendit, ut sarta tecta conservaret, quae ad disciplinam domesticam pertinebant; ut etiam ferveret opera in charitatis ministeriis apud externos. Illo confecto triennio, ad Sancti Ildephonsi Collegium in eadem urbe mittitur, ut liberalium artium, ibi florentium, universitati praeesset. Hic tandem, omni gubernationis cura solutus, exemplo demonstravit, quo animo ad privati gradum accedere debeant homines a depositis Dignitatibus. Pulcherrimum erat, promptam Bellidi obedientiam conspicere, postquam ad lustra fere quatuor imperaverat. Nimirum obedire non dediscit, qui reluctans jubet; ac subditus demissus est, qui Superior non intumuit! Pro minimis etiam rebus veniam exoraturus, conveniebat Superiorem; a cujus arbitrio, et nutu in omnibus pendere, magnopere jucundum illi erat. De distribuendis diei horis ad Collegii constituta, de ferventer annuntiando Dei verbo, de facile audiendis illis, qui ad poenitentiae tribunal confluebant, nihil sane immutavit; cum nunquam haec intermisisset, quo toto tempore gubernarat.

His ad annum intentus vacaverat, piam senectutem agens in tranquillo munere, atque erudito recessu; cum ab Hispaniis exulare Jesuitae imperantur. Bellidus, qui flocci semper temporaria fecerat, ut aeneum simulacrum Jesu cruce affixi, et Sacerdotalem codicem manu sumpsit; satis pro itinere, quodcunque tandem illud esset, munitum se existimavit. Fuere vero, qui viatorias arcas in ejus inventas cubiculo, ipsius nomine signarunt, alterique Sociorum sarcinae deferendae, quales repererant, immiscuerunt. Veramcrucem delatus, dum navium expectabatur opportunitas, oblectamento erat Sociis, qui festiva pii senis colloquia, et vultus hilaritatem (quam post Magistratus resumpserat) in tanta calamitate demirabantur. Per eos dies cum vita functus esset Petrus Realesius, Moderator juvenum Sociorum, qui Theologicis navabant operam; eo luctus tempore opportunum credidit summus Provinciae Magistratus, pro vacuo munere Bellidum designare. Magno afflictae juventutis plausu comparere domi visus est ille vir, quem ardentibus votis omnes expetierant. Et quidem novus Moderator ut rerum novitate turbatos regeret, atque in officio contineret, idoneam ejusmodi tempestati adhibuit prudentiam. Curavit praesertim, ne litterarum studium, vel in illis angustiis, omnino praetermitterent; neu temporum injuria fieret, ut, quem tanto sibi labore comparaverant, animi fervor evanesceret. Annum tandem aetatis duodeseptuagesimum agens, per pelagi fluctus

ctus immenso, et periculoso itineri se commisit. Ingressus est aliena sibi destinatum voluntate angustissimum navale lectulum, quod a sepulchri forma nihil abhorrebat: ex quo sane, toto diuturnae navigationis tempore, nisi ad aram facturus, aut vires corporis refecturus, pene non surrexit. In ea rerum perturbatione, ac multitudinis tormento, ita fugit hominum frequentiam, ut ad solitarios Thebaidis collocatus, tranquilliori silentio non vixisset. Pervenit Gades, paulum quidem, ut pro ea aetate, debilitatis corporis viribus; animo tamen vegeto, et robusto; inde ad Mnestei portum cum deferretur, eodem ibi silentii amore ductus, quoad ejus facere poterat, in cubiculi recessu latebat. Post quietis dies aliquot, cum magnus ex variis Americae Provinciis eo loci diversantium Sociorum numerus, ultro constituissent Divinis meditationibus per dies octo ad Lojolae mentem vacare; Bellidus invitatus est, ut argumenta meditanda proponeret e suggestu. Quod ita fecit apposite, tantoque ardore, ac Divini Spiritus efficacia locutus est; ut mire gauderent omnes, hunc potissimum elegisse, quem dicentem inaudirent. Sed jam festinandum erat ad exilii locum; solvit Gadibus, mare tenuit plus quadraginta dies, Bastiam tandem attigit urbem in Corsis nobilem, sed Gallorum copiis occupatam, atque ardenti tunc bello intutam, et horridam. Et hic sive a sali jactationibus, quas recens passus fuerat; sive ab angustiis, et aerumnis, quibus agitabatur intrinsecus; in gravissi-

mum alvi profluvium incidit, atque inde in id vitae periculum, ut tanti hominis jacturam vix non fecerimus. Verumtamen reservabat illum Deus, ut in bibendo calice ad postremam usque amaritudinis faecem, exulibus esset exemplo, et solatio. Pulsus etiam cum Jesuitis omnibus a Corsica, mari se dedit iterum, atque in Delphini portum appulsus est; ubi, quae demonstravimus alibi, acerba incommoda Sociis accidisse, mirifice patiens tulit Bellidus, quanquam et senecta gravis, et statim a morbo periculoso. Ab eo portu digressus, paucis horis attigit Segestam Tigulliorum; atque inde terrestri jam itinere per inhospitum ea parte Apenninum; asino partim equitans, partim rheda transductus, ad Castrum Sancti Petri consedit in Bononiensi ditione.

Huncce pagum destinavit Provinciae Moderator, in quo pro Sociis junioribus curricula studiorum instaurarentur. Attamen cum tam magno essent numero, qui litteris debebant incumbere, ut cunctos domus una non caperet; in varias distributos Bellidus omnes gubernabat. Praecipuam hic, et solicitam curam adhibuit, ut qua licebat pro rebus perturbatis, ab Societatis disciplina non recederent; ut litteraria pericula subirent; omnino ut ab otio removerentur, universitatis malorum seminario. Annum non totum in eis angustiis diversatus fuerat; cum ad suburbanum Herculanorum, quae familia est e principibus inter patricias Bononienses, cum subdita sibi juventute transmeare jussus

est.

est. Erat haec in amoeno clivo posita, primo ferme a Bononia milliario, jucundissima villa, in qua nihil desiderares urbanum nitorem, atque elegantiam; sed vetere opulentorum more, pro declinandis aestivis ardoribus aedificata: et hinc argumentari licet, quanta sit passus ad triennium totum incommoda, brumali rigore insaeviente, septuagenarius homo, qui in mitissimo Novae Hispaniae coelo ad canos pervenerat. Neque propterea vel a communi temporis distributione, vel a pietatis exercitationibus, vel a Societatis moribus inter juvenes promovendis, vel minimum defecit. Accersitus postmodum Bononiam, et gubernatione tandem solutus; ad menses aliquot non minori fuit exemplo Subditus, quam fuerat Superior. Haec inter Pontificio decreto Societas eversa est: et quanquam Bellidus plurimum doluit tum alia quidem, tum praesertim juventutem tantis repente periculis immersam; nihil tamen hac de re ab ejus ore prodiit, nisi obedientiam Supremo Pontifici deberi, atque ejus imperio submisse penitus, et sine ulla tergiversatione obsequendum. Et profecto salutaria monita, quae praebere paratus erat ad se accedentibus consilii gratia; eo maxime collineabant, ut Socii ad novum translati statum, in Pontificia potestate coelestis Numinis arcana decreta venerarentur. Auctor erat omnibus, ne a modesto corporis cultu, ne a mutua charitate, ne a familiari inter ipsos consuetudine discederent; tametsi sub aliis essent vestibus, neque jam religiosis

votis adstricti. Ut notum erat universis, nullam sive diei, sive noctis horam esse, in qua domi non reperiretur Bellidus, frequentes ipsum conveniebant; aut hic consilium exquireret; aut ille tempus vellet utiliter fallere; aut alteri se recrearent in audiendo senem venerabilem, qui, tanquam Simeon e columna, divina loquebatur. Ita aeternum sepultus in cubiculo, quasi in voluntario carcere, ad postremum duravit decennium, piis tantummodo intentus operibus. Mane quotidie rem sacram celebraturus, adibat sacellum domesticum, quod erat prope limen sui cubiculi: a Sacro statim conclusus, non alios tota die intuebatur homines, nisi qui ipsum, nihil humana curantem, ultro salutaturi conveniebant.

Natura corporis functus fuerat oppido robustis constituta viribus ad aetatis annum octogesimum tertium; sed tandem sensit se mortalem esse, ac paulatim languescere. Nihil de hujusmodi languore verba ille fecerat; donec, inclinante die quadam, exauditae sunt ab ejus cubiculo venientes voces, tanquam petentis auxilium. Ingressus est cubiculum Socius, quotidianae ipsius vitae administer, qui cum jacentem in terra, caputque sanguine foedatum conspiceret, atque illico interrogaret: quid casus fuisset? in haec verba placide respondit Bellidus: *Adoraturus Dominum meum Eucharisticum, ex adverso fenestrae positum, de more genuflexeram; cum graviter corrui, nec ultra exsurgere potui: clamavi, qua licuit; nec, nisi longo*

post

post tempore, sum auditus. Jam ab illo die nunquam non erat unus aliquis e Sociis, qui proxime custodiret hominem, ut primum e lecto consurgebat. Sed nimirum hora venerat, qua post longam inter mortales peregrinationem, evocaretur conviva Superum. Omnis cibi vel visus horrorem illi incutiebat; destituebatur viribus; ingravescebat periculum. Tandem cum Socius ille, cujus imperio se subjecerat in omnibus vitae quotidianae operibus, aperte pronuntiaret, tempus jam esse, ut in cubili conquiesceret: *Eamus*, inquit, sane tranquillus, *eamus ad mortem*. Munitus est Eucharistico viatico, et caeteris religionibus, quae solent ex ritu Ecclesiae moribundis praestari; quae quidem omnia tam alacri suscepit sensu, quam Christiano heroe digna pietate. Nihil pavere significavit in certamine positus extremo; cum diu cogitasset, et palam repetiisset, eo se natum esse, ut aliquando moreretur.. Frequens pronuntiabat Jesu, et Mariae nomina, quae toto vitae tempore fuerant ejus ori suavissima. Tres totos dies nullo prorsus alimento usus est; atque instante Socio, ut liquorem quemdam niteretur excipere: *Omnino*, inquit, *non possum; experiamur tamen, dum tibi libet*: et cum pauculum administer ille per os ejus immisisset, aperte conspexit, per obseratas obedientis hominis fauces transire nihil jam posse. Ita demum inedia potius, quam alia quavis aegritudine, beatissime reddens animam, ad pacem, ut pie credimus, aeternitatis advolavit sexto-

decimo Kalendas Januarias; anno saeculi excurrentis octogesimo tertio; aetatis autem suae octogesimo quarto fere dimidiato. Instar ingentis calamitatis comploratum fuit a Sociis, quod homo defecisset, quem aetas, quem auctoritas, quem tot annorum gubernatio, quem egregiae potissimum virtutes, primi fecerant nominis inter superstites alieno in solo Mexicanos. Et sane mirum fuit, quod vix e vita migraverat alienigena, quem, nisi sanctimoniae odore, nihil profecto noverant Bononienses, late vagata sit per civitatem interitus ejus notitia. E vestigio ad emortui domum convenerunt externi quamplurimi, qui quam enixe, tam certatim efflagitabant, aliquid sibi dari, sive particula vestis esset, sive quid aliud possedisset ille, quod venerationis nomine conservarent. Ita factum est, ut, cum pauperrimam supellectilem reliquisset, satisfactum quidem sit externorum pietati; domesticorum autem multitudini, qui sanctimoniae tanti hominis testes, longe avidius res easdem desiderassent, una superfuerit virtutum ipsius memoria, nunquam profecto interitura. Vincentius Zanchettus, illustri genere Bononiensis, qua humanitate natus est, ac veneratione in Bellidum eminebat, gentilitium sepulchrum, ad Sancti Donati Paroeciales aedes positum, pro venerandi senis exuviis liberaliter obtulit. Quod non levis momenti beneficium magna grati animi significatione cum ille excepisset, cui de justis homini faciendis cura fuerat, ibi tandem communi Sociorum luctu sepultus est Josephus Bellidus.

Pau-

Pauca superaddemus de praecipuis ejus virtutibus: nec enim omnes licet memorare; cum magnum efficere volumen, animus nobis haud sit. Ac primum quidem de orandi studio; quam fortasse quis dixerit inter caeteras ejus virtutes omnino fuisse principem. Orabat certe, cum legeret, cum corpus cibo reficeret, cum ad familiares colloqueretur; et verbo, quidquid ageret Bellidus, coelestium rerum meditationi videbatur intentus: quod sane demonstrabant tum perpetua illa oculorum, et linguae, et totius vultus ad modestiam, et temperantiam compositio; tum praesertim Divina effata, in quae facilis erumpebat. Qualiscunque institueretur apud hominem sermo, nunquam non audiebatur ab ipso aliquid, aut de Numinis bonitate, aut de mundi contemptu, aut de virorum sanctimonia illustrium exemplis, aut simile quippiam, quod ad virtutum amorem audientium animos inflammaret: ut persuasum haberent omnes, unam illi de Deo cogitationem esse, cujus unius amore rapi, satis ab ejus tum verbis, tum operibus apparebat. Intellexi olim ab Socio, cui licuit per menses aliquot in ipsius cubiculo dormire: *se, cum casu à somno excitaretur, audivisse pluries, Bellidum e lecto tam ferventibus in Numen affectibus cor suum effundere, ut constare liquido posset, etiam cubantem amore Divino confici, atque a precandi studio non cessare*. Idem hic testis, qui ad quindecim ferme annos alternis cum Josepho solvebat Sacerdotales precationes, apud me asseveravit: *Accenso*

sem-

semper vultu, et maximopere intentum constitisse Bellidum in hoc obeundo religionis officio. Mane quotidie, ad aram facturus, longa se parabat commentatione de Divinis: quo toto meditationis tempore, saltem dum tironum fuit Magister, genibus flexis durabat immotus in sacrario domestico: ut plane videretur non homo, sed hominis esse simulacrum, quod nullum certe dabat miserae mortalitatis indicium. Ab hac meditatione ad aram accedebat, immolaturus Divinam Hostiam; quod dum faceret, testantur nonnulli, caelestis gaudii fluentis perfundi hominem, et suavissimis lacrimis manare: ac profecto sacra linteola, faciente ad aras Bellido, frequenter madefiebant. A sacro peracto, genibus iterum flexis meditationem continuabat fere ad quinque alteros horae quadrantes; cum nimirum tirones in concionem domesticam, ipsum audituri, de more conveniebant. Nihil propterea stupori damus, cum a diutina cum Numine familiaritate ad concionandum exsurgeret, quod totus Divino Spiritu plenus compareret; semet commotum intrinsecus demonstraret, audientium animos mirabiliter commoveret, atque ita de coelestibus diceret, quasi non abrupisset meditationis cursum, et colloquia cum Superis. Credidere interdum, qui tirones aderant, plura in illis concionibus Bellidum prorsus abalienatum a sensibus, et quasi vaticinantem dixisse. Anno saeculi vertentis quadragesimo septimo, cum in pervigilio Sancti Ignatii verba de more faceret ad tirones in sa-

cra-

crario, atque illos vehementibus verbis hortaretur, ut colerent, ut amarent Societatis Institutum, quod semel amplexi erant; inopinato auditus est in haec lugubria erumpere vultu mirifice accenso, atque ore fatidico: *Equidem nescio, quid olim veniet miserae nostrae Societati, quam tot nominibus video similem Jesuatorum familiae!* Ac postquam Jesuatos novem, Jesuitas totidem ad Sanctorum album relatos, aliaque inter utramque familiam, similitudinem exprimentia memorasset; ingenti rursus exclamavit suspirio: *Enimvero Jesuati nusquam hodie sunt.* Postea vero quam hujus quasi vaticinii fidem liberavit eventus, cum a Socio, qui ante annum vigesimum sextum concioni praedictae aderat, interrogaretur Bellidus: Num haec se praenuntiasse meminisset? Aperte respondit: *se tale quippiam penitus ignorare.* Plures quidem firmissime persuasum habebant, id futuri eventus, aliaque plura hominem in perpetua illa cum Deo consuetudine didicisse. Eodem Magistratus Tepotzotlanensis tempore, intelligere tirones non poterant, et qua hora inciperet Bellidus precari, et qua desineret: nam qui Socius ab somno excitare caeteros ex officio tenebatur, illum quotidie ante diluculum, genibus nixum ante Numen Eucharisticum reperiebat; et quicunque postremus cubitum iret, immotum simili positura, et loco, meditationi instantem relinquebat. Tiro quidam, qui noctes fere ducebat insomnes, veniam impetravit, ut qualibet noctis hora e lecto consurgeret, per Collegii deambu-

bulacra exspatiatum: et hic asseverat, cum semel, et iterum, post concubiam etiam noctem, sacrarium domesticum adiisset, nunquam se non invenisse Bellidum, qui religiose flexis genibus Numen Eucharisticum adorabat. Semel etiam feria quinta majoris hebdomadae numeratae sunt horae saltem undecim, quibus visus est, eadem genuum submissione consistens, meditationibus vacare. Cum tandem consenuisset, remisit quidem a diuturna illa genuum flexione; nihil vero ab orandi assiduitate: nam ultra quotidie sibi constitutas precationis horas, persaepe reperiebatur in cubiculo, manibus ad pectus modeste compositis, intentissime secum cogitans; et ferventer in Deum suspirans pluries audiebatur. His vacabat, ut memoravimus, cum casus ille venit, interitus propinqui nuntius: qui profecto casus quacunque fere hora contigisset; sive jacentem hominem, sive sedentem, sive genibus flexum, certe vigilantem, et quodammodo precantem invenisset.

Cum aeterni Numinis magnitudinem assidua meditatione perpenderet; mirum est, quantum in ea schola didicerit, quantusque evaserit in salutari scientia semet ipsum parvifaciendi. Jam a tirocinio, cum litteras illas conscripsisset, quibus Mariae Virgini se se famulum consecravit, eximiam animi demissionem patefecit: indignum enim se inprimis accusabat, qui a Regina Virginum ad tanti famulatus honorem adscriberetur; orabat proinde caelestes, ut pro se, nihil tale merito, precarentur, illos in

auxi-

auxilium nomine appellans, quos peculiari pietate venerabatur. Cum quintum et vigesimum aetatis annum ageret, votum emisit in haec demississima verba conceptum: *siquando (quod Deus avertat) ob meam animi remissionem, atque in pietate oscitantiam, ex albo Sociorum erasus fuero; equidem promitto, mansurum me apud ipsos, quoad vixero; sive in re culinaria velint me inservire, sive aliud quodlibet ministerium e vilissimis exercere: is mihi jam tum fuit animus, cum ad Societatis vexilla confugi; quem litteris nunc, et sacramento confirmo*. De se, ac suis rebus nunquam solebat sermones inserere: nullus ab illo audivit, cujus esset illustris generis; nec Parentes unquam in familiaribus colloquiis commemoravit; nec, utrum litteras aliquando accepisset a nobilissimis cognatis, ab ullo intellectum. Omnino renuntiaverat carni, et sanguini, et quidquid est splendoris, et commodi, quod a patria derivatur origine; ut nimirum ab omnibus flocci habitus, uni Deo serviret in statu demissionis. Cum ad Sancti Petri Castrum diversaretur, ad illum accessit externus quidam, non ineleganter vestitus, qui plura pollicebatur; aut litteras ad cognatos, atque amicos vellet sibi committere, aut ab Hispanis mensariis pecunias transferri: ecce me, ajebat, qui ad iter me accingo, et tibi libentissime obsequium praestabo. At paucis Bellidus: *Et ego*, inquit, *ad aeternitatis regnum profectionem adorno; siquid in illa regione tibi est negotii, ecce me*. Fugiebat enim, quidquid vel longe posset

bono-

honori sibi esse; nec de terrenis ejusmodi curabat secum agi. Magistratus gesserat e praecipuis, idque ad longum tempus; in sacros oratores clarissimi nominis fuerat relatus; ingenti cum plausu exceptus, cum liberales artes edoceret; adeo quidem, ut unus fuerit e tribus designatis, quos inter eum eligendi daretur optio, qui laurea decorandus esset in Mexicana Academia pro Suarezio explanando: quod sane apud Socios Novohispanos primi honoris erat in litterariis. De his tamen omnibus altissimum a Bellido, quamdiu vixit, silentium. Constantissime spernebat, quae venerationis indicia praestari sibi solebant a primariis quibusdam, qui meritum ejus magnifaciebant. Mexici pro confessionibus audiebat interdum Praetoris conjugem, clarissimam foeminam; quae plurimi cum aestimaret Bellidi virtutes, assidue lamentabatur, obtinere se ab ipso non potuisse, quod rheda sua vehi pateretur, quam illa toties obtulerat. Quid enimvero istiusmodi honoribus vellet uti, qui deberi sibi crucem, et ignominiam, quotidiana cogitatione volvebat? Hac suimet opinione ductus, quidquid sibi dedecoris ab aliena injuria contingeret, nunquam non credebat, id ex suo merito evenisse: proinde si forte laederetur ejus auctoritas, aut etiam conviciis impeteretur; quanquam subita res esset, ad demissum silentium confugiebat. In itinere a Segesta Tigulliorum, cum gravis jam aetate per montium praerupta equitaret, delassatus repente descendit ex asino, atque humi con-

consedit: accurrere illico Socii aliquot, quos timor occupavit, ne male se haberet senex patientissimus; forte etiam adfuit temerarius agaso, qui elata voce dixit: *Derelinquite Senem ebrium*. Omnes commoti stomacho sunt; modestus tacuit Bellidus.

Hanc animi sinceram demissionem consecuta est fidelis comes, religiosa paupertas; quam ut semel vovit, firmissime coluit, et quasi Parentem adamavit. Toto quidem vitae tempore, sed praesertim cum tirones moderabatur, in laceris esse vestibus gaudebat; calceis utebatur interdum, novo altero, altero attrito, et perforato. Nocturno tempore fere nunquam in cubiculum lumen introferebat; adeoque praelecturus, quae postridie volveret in Sacra meditatione, admovebat se ad candelam proximam, in deambulacro positam. Capite semper nudo incedebat, etiam cum a calvitio perquamcommodus illi fuisset pilei usus. Nulla erat res in humanis, quam sibi comparandi apparuerit in illo desiderium: nihil unquam ab aliis efflagitabát; nec illis etiam, quae, praemisso Superiorum consensu, in sua erant potestate, corde adhaerescere visus est. Porro ita contemnebat haec omnia, ut, quid haberet, penitus ignoraret: propterea, siquid ab eo peteretur, dicebat Socio, cujus curae se commiserat: *Id a me quidam postulavit; vide, precor, num reperiatur in meis*. Res etiam, quas pro vita humana ferme necessarias habere debuisset; si casu, aut oblivione non darentur, nunquam exigebat.

gebat. Egregium dedit ejusmodi documentum, cum renuntiatus Theologiae Magister ad Guadalaxarenses, atque in pauperrima sarcina, ut solebat, in destinatum perveniret Collegium; ea fuit, Deo permittente, incogitantia hominis, cujus erat munus, recenti Magistro necessaria providere, ut ad menses aliquot nulla culcita Bellidus decumberet: nec is verbum locutus est, nec certe consulebatur indigentiae, nisi externus quidam (cujus testimonio id postmodum intellectum est) rem forte animadvertisset, ac religiose pauperi gratuita beneficentia culcitam dono dedisset. Summet omnino incuriosus ob hujusce virtutis amorem, non modo nihil curabat sibi dari, verum et sponte oblata recusabat interdum. In exilio constitutus, ubi probe intelligebat, atque experimento probaverat, opportuna esse subsidia quaelibet ad penuriam in alieno solo sublevandam; tesseram accepit nummariam, quam ut exhiberet, certa illi pecuniarum summa penderetur: at cum doni auctor nomen suum reticeri jussisset, negavit Bellidus habere se, unde posset ejusmodi subsidium inopiae suae provenire; neque vero, quantislibet rogatus precibus, omnino voluit subscribere syngraphae. Ad ipsum Bononiae degentem Sanctimonialis quaedam Mexicana cum scriberet, enixe precata est, ne respondere sibi gravaretur, aut saltem nomen suum sua manu scriptum vellet mittere: quod unum si haberet ipsa, fidem utique praestabat, se Bellidi indigentiae copiose opitulaturam. Nunquam tamen obtinere po-

tuit

tuit responsum a viro, cui jucundissima erat religiosa inopia, qui nullas unquam dedit litteras in Hispanam ditionem, plus tribus lustris in exilio positus. In Castimoniae laude is apparebat, quasi luto non fuisset humano formatus. Hunc, illumve prae caeteris hominibus amare vel nescivit unquam, vel certe non significavit; nisi forte aut unum aliquem Deo lucrari peculiaribus comitatis indiciis aggrediebatur; aut similitudo mentium, et consiliorum amicitiam nihil humana sapientem instituebat. Cautus oculis, circumspectus verbis, toto corpore ad modestiam religiose compositus, odorem sane Angelicum respirabat. A colloquio cum foeminis abhorrebat inprimis, nisi de ipsis in re pietatis adjuvandis ageretur. Plurium quidem, et Sanctimonialium maxime, conscientias dirigendas excepit; verumtamen patienter auditis, quae negotia erant animi, se se quamcelerrime ab caeteris urbanitatibus expediebat. Et certe in illa quasi Thebaide, quam in medio quarumlibet urbium strepitu videbatur incolere, non avulsus a cubiculi solitudine, nisi ad Deum, et animorum salutem; facile fovere poterat castissimas de virtute, atque aeternitate cogitationes.

Obedientiam, quam ex Lojolae mente praecipuam esse debere in Societate virtutem agnoverat, toto animi conatu ab ipsa religiosae suae vitae infantia usque ad canos excoluit. Quidquid agendum sibi esset, primam suorum operum normam habebat Superioris voluntatem;

a cujus nutu ita pendebat, ut nihil haesitans, exequeretur imperia, cum vix audiret praecipientem. Id autem, quantumvis ardua ille imperaret, atque obedientis honor in decreto imposito labefactari videretur. Magno prudentiae nomine, quod a nobis memoratum est, ad septem annos, et menses aliquot, Tepotzotlanense Collegium gubernaverat: a quo Magistratu, moris erat, neminem removeri, nisi ad potissimi honoris occupanda munera. Bellidus autem cum ab illius Collegii administratione, mirantibus omnibus, ad subsellium longe inferius mitteretur; nihil dubitavit, quamcitissime ad novam gubernationem contendere; quin aut corruere ex alto recusaret, aut verbo rumperet debitum obedientiae silentium, aut ullo gestu apparerent vel minima perturbationis indicia. Equidem hanc mirabar demississimi animi obedientiam, cum testis, qui nunc etiam Bononiae superest, haec ad me gravissimis verbis affirmavit: *Bellidus biennio, antequam ad Zacatechos ab amplissima Tepotzotlanensi domo mitteretur, cum de mira Joannis Ceronii sanctimonia familiariter mecum colloqueretur, narrabat hominis adversa, cum, hoc ineunte saeculo, a Magisterio Tepotzotlanensi, nulla Magistratura fuit amandatus ad parvum Collegium Sanluisiense in Potosinis, apud quos tandem diem obiit supremum. Et similis, Bellidus addidit, me fortasse sors manet: me quidem merito, secus ac Ceronio contigit; cujus virtutes, annis aliquot post ejus mortem, palam testatus est Antonius Margilius, vir sanctissimus,*

simus, de quo in caelestium album referendo Romae agitur: qui Margilius cum apud Socios in Potosinis diversaretur, quod solebat in aliis urbibus; flagitavit enixe, statim a prandio, ut se ducere vellent in commune Sociorum sepulchrum: quod ubi a mirabundis factum esset, ille nihil inquirens, recta se contulit in eum locum, ubi nullo titulo, nullo sui externo indicio, sepultus fuerat Ceronius: et quanquam Margilius nunquam audierat, ubi esset ille tumulatus; nihilo tamen minus, genibus ad sepulturam positis, veneratus, ac deosculatus est locum; en, aperte inquiens, magnum sanctum haec terra condit, demississimum, integrum, perfectum, Deo charum, Joannem Ceronium. Et haec Bellidus eo temporis, cum nullum rei, post biennium futurae, appareret indicium. Testis ego etiam fui, quam facili moderatione judicium suum voluntati Superioris posthaberet; mecum ipso colloquenti delatae sunt litterae a Provinciae Praeside pro rei executione, quam detrimento fore non levi Bellidus existimabat. Rem serio meditatus est, oravit Numinis auxilium, rescripsit ad jubentem, quae sibi erant rationis momenta validissima, ne id fieret: sed cum nihilominus instaret Superior, ut res executioni mandaretur; Bellidus altissime siluit, et promptissimus obedivit. Atque eo quidem didicerat, totum se alieno arbitrio committere; ut etiam in vitae quotidianae officiis, in quibus unusquisque sui juris est, ille obtemperare praetulerit. Socius erat (cujus indoli officiosae, atque eximiae charitati elo-

gium hic texere, utinam liceret ab ingenuo ipsius pudore!) cui semet ultro subjecerat Bellidus in domestica sui gubernatione. Jucundi erat exempli, venerandum senem intueri, qui sive manum, sive pedem movere nunquam constituebat; nisi ab Socio illo aetatis longe inferioris, quid sibi esset agendum, moneretur. Quod profecto nihil tribuendum aut virium debilitati, aut mentis impotentiae: nam ad postremum ferme spiritum viguere in illo tum animi dotes, tum robusta corporis valetudo, quales aetate maturo fuerant. Cum praesertim nullus fuit ultra Societatis Magistratus, cui obedientiam deberet, videbatur omnino ab illo Socio in rebus omnibus pendere; ut neque panis micam, aut aquae guttulam unquam gustaret, nisi ab eo sibi deferretur. Ita etiam laceras vestes deponebat, si alias ille substitueret; sinminus, indigentiam suam nec semel Bellidus manifestavit: similiter hiberno tempore ad caminum accedere non audebat, nisi suus ille administer destinaret tempus, et fere locum, ubi assideret.

In christiana tolerantia is fuit Bellidus, ut plura id generis quasi ostenta in illo mirabundi viderimus. Nunquam auditus est aliquid postulare, tametsi maxima ipsum urgeret necessitas. In aestivis ardoribus, cum mortalia quaelibet corpora humorem abundantius expetunt, sitire magnopere solebat, intusque propemodum exuri; quin aut ipse biberet injussus, aut bibere flagitaret. Si deferretur ultro, bibebat perquam-cupidus; unde argumentari licebat, siti homi-

nem

nem exaestuasse; sin autem vel hora potandi solita non esset, vel casu aliquo Socius cunctaretur; homo tolerantia egregius ad silentium obstinabat. In postrema aegritudine nullus auditus est naturae gemitus, lamentatio nulla, quibus aut excruciari se, aut desiderare quippiam, aut animum a corpore avelli significaret. Eodem in morbo cum denudare semet ultra non posset, tibialibus ipsum spoliavit quidam Socius, qui stupenti similis enormem plagam a fortuita adustione in crure conspexit; cujus quidem plagae indicium nullum a patientissimo Sene dolor extorserat. In Hispaniam naviganti, ad caeteras itineris aerumnas, designatum illi fuit cubile sub cella penuaria; in qua cum vas mellis rumperetur, tota fere subjacentis culcitae lana imbuta est tenaci liquore, qui guttatim per commissuras difluebat. Obmutuit ad novum incommodum, qui tot alia silentio devorare didicerat; nec auxilium imploratum esset, nisi rem Socius forte animadvertisset. Angelopoli cum valida febri vexaretur, ad biduum totum, alibi etiam ad triduum, ab omni cibo, et potu, et hominum consuetudine abstinuit; quam cessationem eximiae patientiae superaddens, ab omni tandem morbo convaluit, quin ulli verbum, nisi Superiori, de sua aegritudine faceret. In humano commercio (ut unus alteri, mortales tormento invicem solemus esse) plura illi contigerunt in hujus virtutis periculum; quae tamen omnia secum tacitus devorabat, nihil concesso motibus internis, in verba erumpere volentibus.

 At-

Atque ut sibi facilius, et acrius imperaret, salutari etiam odio in suam carnem insaeviebat. Diximus jam Tironum Magistrum pari gressu incessisse cum Augustino Marquezio, qui in semet macerando pene attingebat prodigii terminos. Bellidus toto vitae cursu inedia voluntaria singularis, id per eos annos manducabat, quod unum satis esset, ne se ipsum sponte interimeret. Delectabatur mexicano sorbillo, quod coccolatum nuncupant; illius vero Magistratus tempore ab hoc sorbillo se continuit; cujus divenditi pretio necessaria coemit, ut nascentis in praesepi Jesu mysterium simulacris repraesentaretur magnificis: quae postea singulis annis per natalitios Domini dies tironum oculis delicio erant, atque accensis amore Divino cordibus pietatis incitamento.

In Magistratuum administratione, de qua suo loco plura diximus, mirabilis prorsus erat. Firmissime persuasum habebat, primum cordium Rectorem esse, qui et illa creavit, et interna charitatis lege praemunit Deus: eaque propter censebat, hominem, qui sui similium corda regeret, parcissimis quidem verbis, copiosius autem, et certe utilius, exemplo debere imperare. Utique invigilabat custodiendae disciplinae; ac siquid reprehendendum aut ipse intueretur, aut legitime intelligeret, objurgantis auctoritatem adhibebat. Curabat vero noxas corrigere, quoad sibi liceret, se inter, et solum ipsum corrigendum; ut nimirum honori subditorum consuleret. Horum etiam orare causam solebat

apud

apud Provinciae Moderatorem, quoties aut accusarentur falsi criminis, aut quid aliud minus rationi consentaneum de ipsis decerneretur. Nihil erat facilis, aures iis praebere, qui aliena errata deferebant; nisi plane intelligeret, eos accedere ad hoc officii, ductos charitate in errantem, odio in erratum, atque adhibentes verba lenitatis, et mansuetudinis: quin imo, audiisse memini, quod Ignatii exemplum imitatus fuerit interdum, ac delatorem coegerit, ut scripto, quae detulerat, testaretur. Assiduus etiam inter effata sua repetebat: *Satis habebimus negotii, si unusquisque sibi velit consulere, nec in aliorum mores inquirere.* Accidit olim, ut Socius quidam in irae ardore schedulam exararit, atque ad illum detulerit, in qua de illata sibi a Collegii Ministro injuria vehementioribus verbis lamentabatur. Bellidus, qua erat mirabili sagacitate, confestim odoratus, quid rei esset; acceptam schedam in propinquo loco reposuit. Vix ira deferbuerat, accusatorem poenituit; et cum rem tota nocte volvisset, insequenti die ad Moderatorem regressus est; qui Moderator incipientem loqui abrupit, atque interrogat: *Ain de scheda, quam proxima nocte attulisti?* Et annuente delatore, Bellidus iterum: *Ecce illam ad Jesu cruce fixi pedes adhuc obsignatam:* et paucis prudenter monitum dimisit hominem. Id ego ab eodem accepi delatore, qui dein Bellidi nomen nullis non laudibus extollebat. In Magisterio pietatis omnino singulari sapientia praeditus, expetebatur a pluribus, qui conscien-

tias eorum dirigeret, ac rectum perfectionis iter monitis, et exemplo monstraret. Quo in tribunali cum sedebat Judex, apprime suavis erat; illaque charitatis, et patientiae adjumenta praestabat, ut nullum ab se afflictum abire pateretur. Plures fuere, de Virginum coetu praesertim, quas alacri sedulitate adjuvit, ut a fluxis, et caducis remotae penitus, unius Divini Sponsi amori consecrarentur; atque ab iis vicissim piam habuit benevolentiam, et nonnulla de suismet rebus futura rescivit. Ab sanctimoniali quadam vaticinationibus illustri, quam domestico vocabulo Mariam a Jesu appellabant, accepit Bellidus, postremum diem se clausurum circiter Immaculati Conceptus Mariana solemnia. Et ille quidem tantae Virginis praeclaram pietatem, et fatidica verba ita magni aestimavit, ut quotannis, cum eadem rediret solemnium proximitas, ad mortem se pararet feliciter obeundam; donec post annos plus quadraginta eventus probavit oraculi veritatem. Rector ad Sancti Spiritus Angelopolitanum Collegium, audivit ab altera virtutis eximiae Virgine, se pro insequenti triennio gubernaturum Socios Theologiae dantes operam: quae scientia cum traderetur Mexici ad Sanctorum Petri, et Pauli Collegium; suas ille viatorias arcas comparavit, nihil sane dubius in praestanda fide vaticinanti. Cum autem novi Rectores dicerentur, nec ulla data fuisset Bellido gubernatio; videbatur Sanctimonialis illa vel omnino somniasse, vel certe Divina verba non probe intel-

tel-

tellexisse. Attamen post ejusdem triennii vix annum, pulsis Mexico Jesuitis, et Veracruce vita functo, ut demonstravimus, Petro Realesio, qui Teologiae studentibus praeerat; Bellidus, qui succederet in munere, designatur.

Plura occurrerunt in hoc viro describendo, quae specimen quoddam rei mirabilis videntur praebere. Alibi etiam memoravimus vulgatam complurium opinionem, quod propinquum interitum Bellidus praenuntiasset Josepho Liebanae, cum ad Sonorenses proficiscentem, in haec verba salutavit: *Sacrae mortis compendio vitam beatam possident*. Qui profecto Liebana, ingentibus confectus laboribus, ante triennium occubuit. Obiter et in hoc loco nonnulla id generis congeremus. Intelleximus ab Socio quodam, se in Societatis excidio, eatenus majori admiratione perculsum esse, quoniam non paucis retro annis cum Bellido in Nova Hispania familiariter colloquens, non semel virum in haec erumpentem inaudierat: *Equidem, tametsi quatuor votorum solemnium sacramento me adstrinxerim; exagitor nimium quantum repentino, atque insolito metu Societatem amittendi; et nescio quo pacto mihi videor quasi has nostras vestes invitus deponerem*. Florentibus tunc in Hispania Societatis rebus, non facile metuendum erat, quod verba ista portendebant; quin imo ab his, et similibus aliis opinio aliquorum inolevit, Bellidum esse maximopere lugubrem avem, quae tristiora, et deteriora quaeque ominabatur. Eventus autem rei fidem sanxit; sive tunc vaticinaretur

homo,

homo, sive a longissimo tempore futura conjiceret. Gubernabat Mexici Bellidus illustris foeminae conscientiam, cui gravi morbo correptae laturus opem cum contenderet, nuntius adest a Mexicano Pontifice, qui ad destinatam horam solicite ipsum appellabat, quocum de re quapiam deliberaret. Ante praefinitum tempus infirmam convenit; quam cum reperisset inter postrema fere suspiria, serio ad illam conversus, ita ex potestate imperavit: *Ne morere, priusquam a Pontifice remeavero, qui me domi suae praestolatur*. Visa mors fuit audiisse vocis imperium: nam vix homo redierat, infirma obedienter expiravit. Sorores germanas duas in quodam coenobio Sanctimoniales pro sacris confessionibus audiebat; cujus ministerii gratia cum destinato die ad ipsas peteret, comparet una duntaxat, nuntiatque Sororem non venturam, quam febris divexabat, et ne exurgere quidem e cubili permiserat. Paulisper se collegit Bellidus, et statim subdit: *Vade ad Sororem, et meo jube nomine, ut consurgens illico, huc mihi se sistat*. Nihil sane reluctatur aegra, se suis vestibus actutum induit, expectantem hominem convenit, sacra poenitentia de more animum expiat, a febri omnino soluta inde recedit, eo jam ipso die religiosis officiis cum caeteris Virginibus vacat. Socius quidam Bellidi eximiam pietatem venerabatur inprimis; cujus tamen gubernandi rationem, ut opinamur varie mortales, non probabat: qua de re postquam longe collocutus est in cubiculi solitudine cum quodam sibi fami-

miliarissimo; e vestigio Bellidum ipsum convenire opus habuit. Praeter morem invenit hominem hilari fronte; qui liberaliter exceptum, et sibi assidere jussum, minutatim edocuit rationum momenta; quibus innixus gubernabat; ad ea nimirum respondens omnia, quae paulo ante in secretissimo colloquio Socius ipse in Bellidi administrationem objecerat. Qui Socius instar prodigii postmodum enarrabat, nec demirari satis poterat, unde Bellidus ab se dicta in arcanis potuisset intelligere? Id autem ipsum attoniti complures e Sociis quaerebant identidem: Qui fieri potest, ut homo in solitudine cubiculi perpetuo sepultus, cum nihil a quopiam interroget; nihil etiam facilis aures praebeat ultro deferentibus; nunquam tamen illa ignoret, quae domi contigerint? Equidem non dixero fidenter, coelesti supra naturam lumine donatum Bellidum; nihil tamen absonum est opinari; virum tanta virtutum gloria praeclarum, tam diuturna, et fervida precatione cum Numine colloquentem; ab hoc luminum fonte arcana interdum haurire potuisse. Profecto sperandum, cum propius jam ad hunc fontem accessisse illum credamus; unde opportuna in miseros derivantur auxilia; pro iis lubenter deprecaturum, quos olim habuit laboriosissimae militiae consortes.

Erat Josephus Bellidus praealta, eleganti, atque in gravissimis etiam canis erecta statura corporis; forma omnibus partibus decora, et venusta; capillis in senecta fere candidis; modico

tal-

calvitio; porrecta decore fronte; denso ad oris dignitatem supercilio; caesiis, intermicantibus, et vi luminum acutissimis oculis; naso in superiori parte paululum camuro, sed in rectum desinente; ore ad perfectam proportionem mediocri; subrubentibus labris, quorum inferius modice intumescebat; dentibus olim ad speciem firmissimis, quorum tamen nullus ad postremam senectutem remansit; albo admodum colore; incessu ad moderationem composito, qualis decet hominem, cui videbatur insitum, atque innatum esse illud decorum, quod in officiis Tullius jure commendat; voce acuta quidem, sed apte tamen robusta; et quae in sacris concionibus motus animi mirabiliter excitabat; ingenio a natura urbano, et suavissimo, ab industria temperato ad graviorem dignitatem; virtute mentis clara, profunda, facile praesentiente, atque incredibiliter sagaci; animo certe magno, atque omnino facto ad aequabiliter ferenda secunda, et adversa. Haec satis de viro maximo; cujus imaginem utinam a praestantiori manu haberet posteritas!

XAVERIUS GOMEZIUS.

FAteor equidem, diu me restitisse internis motibus, et votis describendi viri hujus imaginem: tametsi enim ex iis fuerit, quos fama in Sociis Mexicanis praedicabat sanctimonia clarissimos; me tamen deterrebat innumera illa ostentorum, et vaticiniorum multitudo, quae de ipso narrantur; quibus profecto mirabilibus, nisi a certis, et nihil suspectae veritatis testibus ad me venerint, difficilis admodum praesto fidem. Quare pene statueram, intactam hanc provinciam relinquere scriptori minus timido, et cui major esset auctoritas, mens felicior, et expeditius judicium ad veritatem attingendam. Cum autem animadverterim, eam merito fuisse civium meorum opinionem de Gomezii virtutibus, ut mecum de manifesta injustitia procul dubio expostulaturi sint, nisi locum huic dedero in Mexicanorum illustrium imaginibus; ad opus me accingo, sane meis viribus gravissimum; eo tamen praemisso, quod ita intelligi volo, quae miraculum redolentia narranti occurrerint, ut ab Romanorum Pontificum decretis nullatenus discedam; ut etiam quod humanam secutus fidem, nolim omnino sponsor appellari. Neque vero sunt ex levibus auditiunculis, quaecunque id generis referam: nam ex propemodum infinitis, quae mirabi-

rabi-

rabilia de hoc viro sincerissimo, ac demississimo fama vulgavit, pauca duntaxat carpere animus est, quae luculentioribus comprobata testibus intellexi.

Cellae, in Aragonio Regno, foemina fuit, cui nomen Anna Maria Ortizia, genere quidem honesta, illustrior vero a castigatis moribus, notissimaque ab religionibus in Divum Xaverium, cujus habebat simulacrum domi, quod sumptuose ornabat, et singulari fervore venerabatur. Et haec erat foemina tanquam asylum, ad quod oppidani confugiebant, sive quis gravi morbo decumberet, sive malum alterius ordinis impenderet: ubilibet enim vocata pro publicis, et privatis aerumnis, in afflicti cujuslibet domum deferri imperabat Xaverii simulacrum; a quo passim curationes, et alia ostenta Cellani referebant. Celebriora vero prodigia narrabantur collata in Josephum Gomezium, Ortiziae maritum, qui calculo ad renes laborabat, et saepius, ope Xaverii ab utroque conjuge implorata, lapillos ejecit ea magnitudine, quae pene fidem exsuperabat: quos lapillos Ortizia reponebat, et grata demonstrabat in beneficii memoriam. His conjugibus, Xaverii clientibus, octavo Kalendas Apriles, anno 1701, natus est filius, quem Mater post septimum a conceptu mensem, enixa est vulgi opinione mortuum, reapse mortuo simillimum, et praeterea nigro colore inusitate deformem. Puerpera vero non se deseruit; sed assueta postulare, atque obtinere beneficia deprecatione Divi Xaverii, simu-

lacro

sacro ejus ostentari jussit infantem, et interea in haec precabatur: *Equidem, flagitavi a te filium, qui Xaverius appellaretur, et quem meriturum in Societate, quoad Matri licet, pollicita sum: vivum restitue filium, qui quaerat olim Dei gloriam, et luculenter praedicet abs te collatum beneficium*. Ita orabat afflicta Mater, cum infans vel ad vitam revocatus est, vel prima dedit indicia, vivum esse; nec inde multum, cum ad naturae colorem transivit. Nec ulla mora, sacro fonte lustratus, nomen ejus habuit, a quo post Numen vitam habuisse, nemo erat ullus, qui dubitaret. Hanc vero vitam, quam statim a Mastris utero, Gomezio ferunt restitutam Divi Xaverii beneficio; denuo postea donatam ejusdem ope narrabant: Gomezius enim ante pueritiam depositam, nescio quo casu, praeceps ruit; exanimatus a cunctis creditur; in eam speciem Matri defertur; haec de more ferventissima Xaverium orat; puer incolumis consurgit. Rideant sane, qui ex hodierna consuetudine tunc demum se litteratos, et sano judicio viros arbitrantur, cum aperte cachinnati fuerint ad auditum miraculum. Nos quidem in ejusmodi miris praestanda fide, lentissime incedendum, et nullam non adhibendam cautionem putamus; neque vero inficiamur, hac etiam nostra tempestate posse Deum, quod potuisse, ac fecisse olim, nemo, quin fateatur, in Orthodoxis est. In his autem referendis, quae ostenti speciem habent, fidem sequimur docti, et probi Sacerdotis, cujus haec sunt verba:

Equi-

Equidem testor, atque omni asseveratione affirmo, me adolescentem saeculi praesentis annis vigesimo tertio, et vigesimo quarto, in pomeridianis orationibus, quae in templo dicebantur ad populum pro Divi Xaverii novendialibus, praedicta duo mira inaudivisse, ipso Xaverio Gomezio prope suggestum adstante. Anno etiam aetatis ejus decimo tertio cum pondus gravissimum extollere inconsulte Gomezius tentasset; rupta membrana ventris partibus circumextensa, horribiliter descenderunt in scrotum intestina, et puer diu, noctuque magnis clamoribus domum implebat: sed hoc etiam malo repente solutus fertur pridie ante Xaverii solemnia, cujus opem Mater imploraverat, et cujus novendialibus aeger interfuerat, alienis humeris delatus. Et ab eo tempore in animi grati significationem Gomezius, atque ejus Mater quotannis novem ipsos dies ante diem sacrum Xaverii cultui, pane tantum, et aqua victitabant: quem morem secutus fuisset Gomezius, cum post annos fere duodecim ad Socios adlectus est; nisi Magistratuum imperio justis de causis prohiberetur.

Jam a teneris unguiculis propalam fuit, Gomezium a Deo vocari ad praecelsam sanctimoniam; cujus non obscura fuere vestigia tum candor quidam ingenuus, et vel ea in aetate plane mirabilis, tum praematura modestia, quae puerulum hunc a caeteris distinguebat. Nec minus apparuere jam tunc semina quaedam eximiae misericordiae in egenos; quos ut sublevaret, qua poterat, munuscula sibi condonata solli-

lici-

licitus reponebat, illisque clanculum impertiebat. Majori autem virtutum incremento adolescentiam exegit: nam a Parentibus Turiolum immissus, ut grammatica elementa, inde Bilbilim, ut liberales artes attingeret; sui admiratione defixit tum aetate suppares, tum Magistros, tum oppidi utriusque cives universos; qui suspiciebant, et venerabantur adolescentem illum, non certe quasi tum primum pietatis rebus assuesceret, sed quasi consummatae perfectionis virum, et plura stipendia emeritum in virtutis militia. Sacram poenitentiam assiduus frequentabat, Divina dape se reficiebat, aliisque religionibus tum privatis, tum publicis animum ad caelestia erigebat; quarum auxilio suavissime quidem, et tanquam natura tenderet, ad perfectionis culmen, supra quam posset ab ejus aetate sperare aliquis, festinabat. Traditum etiam memoriae comperimus, quo tempore ad Bilbilitanos philosophiae, ac Theologiae dabat operam, salubriter in semet crudelem flagello, et ferreis macerationis instrumentis quamsaepissime usum fuisse; ut nimirum, subacta carne, motus animi frangeret, ac domaret. Quos ita quidem perfecte fregit, ut inordinatis illis, quibus misera constat mortalitas, pene caruisse videretur: et nemo sane unus est, quem audierimus unquam, ab se visum Gomezium, nec tum aetate florida, nec postea in Sociis matura, nec Bononiae demum senili, aut tristem, aut animo anxium, aut subiratum; quanquam in diuturna, et laboriosissima vitae serie

pluries ad eos motus, quae sunt hominis infirmitates, provocaretur. Hoc certe prodigio quamsimillimum! Neque vero quoniam id temporis adolescens tantis emineret virtutibus, declinabat idcirco in tetrum vultum, aut nimium solitudinis desiderium; sed omnibus affabilis, et cunctis charus ordinibus, omnino factus erat in bonum Reipublicae. Praelucebat exemplo, et suaviter verbis invitabat contubernales, et quotquot poterat ex aliis oppidanorum coetibus; ut, se duce, frequentarent ea urbis templa, in quibus ad certos hebdomadae dies macerationi corporis, et piis religionibus opera dabatur, et res Christiana explanabatur. Jam ab ea suae virtutis tanquam infantia, Christi morientis vulnera impensissime colere, in amoribus habuit; in quorum vulnerum memoriam magni jejunii tempore pium agmen quotidie instituebat, alternisque vocibus per vias publicas, ipso praeeunte, preces fundebantur, donec ad templa religionibus destinata sacrum agmen perveniret. Ab his publicae pietatis operibus, ut etiam a privata in semet crudelitate, a voluntariae inediae rigore, ab omnino inculpatis moribus, incredibilem ad Bilbilitanos venerationem sibi Gomezius comparaverat: et hinc auctoritas illa, qua fere praeter naturae ordinem jam ab eo aetatis flore videbatur instructus, ad facile persuadendum suavissima cohortatione tum sibi supparibus, tum civibus aliis, quibuscum agebat; ut in affligendo corpore, atque animi perfectione procuranda, se vellent sequi, atque aemula-

mulari. Luculentius autem habemus aliud testimonium castigatissimae vitae, quam per eos annos exegit: nam postea Societatis novitius Gomezius ipse in Tarraconensibus, cum ab suppare quodam, qui Bilbili fuerat sibi in familiaribus, rogaretur; num eorum temporum meminisset? obortis ille lachrimis: *Oh quantum*, ajebat, *modo sum mei dissimilis! Et me profecto puderet, ab illis macerationibus ad has delitias transiisse; nisi me abunde consolaretur novae vitae institutio sub Magistratus obedientia, quae sola potest pristinae austeritatis meritum impendio supplere*. Delitias nimirum appellabat arctissimam illam, et emendatissimam vitam, quam in recessu ab humanis, et silentio, et latebris, et intima cum Deo conjunctione tirones transigebant. Septem admodum fuere anni, quos in his posuit Bilbili, tres philosophiae; quatuor theologiae auditor; et haec sane primordia sui Apostolatus, ad aetatis annum octogesimum quartum producendi, non immerito appellaverimus.

Hunc vitae Apostolicae tenorem sequi, et bellum sibimet in adolescentia illatum continenter urgere, Gomezio cum placuisset; Patronum suum Xaverium, quoad proxime posset, imitari decrevit, atque in Societatis album adscribi postulavit. Nulla mora, in Tarraconense tirocinium immittitur; ubi constanter excelluisse virtutibus, ipsique benevolentiam, et observantiam tirones omnes praestitisse; in cujusdam autographo, qui cum eo novitius erat, notatum comperimus. Dolemus autem, quod

raptim haec notaverit vir ille, nec ullam peculiariter virtutem attigerit: cum omnino credere non possimus, Gomezium, qui tot religionibus praeclarus adoleverat inter mundanas illecebras; translatum postea in sacram virtutis officinam, non reliquisse plura documenta, quae digna sint posteritatis memoriae. Conjicere vero licet, magnopere aestimatum fuisse Gomezii meritum a tironum Moderatore; quoniam sextodecimo mense novitius Gandiam, Valentini regni nobilem urbem, appellatus fuerit pro grammaticis elementis Magister: nec enim ad puerorum strepitum, et Magisterii momentum evocaretur ante confectum de more biennium, quo toto novitii Societatis informabantur; nisi ab spectabili probitate crederetur tanti esse, ut constitutus Magister nihil cessaret a ferventissimi tironis officiis. Tradendae igitur grammaticae dabat operam, cum tirocinii biennium implevit; et vota simplicia Societatis cum emitteret ingenti gaudio, quatuor admodum annos in Magisterio duravit. Frustra desideravimus investigare, qualem in eo munere se gesserit, quod primum suae curae Societas commisit; sed annorum sexaginta decursus hanc ejus vitae partem obliteravit. Per id autem temporis in eadem urbe ad sacrorum dignitatem evectus est; nec multo post habuit litteras, quas ardenter optaverat, a Michaele Angelo Tamburino, summo societatis Magistratu, quocum jampridem agere instituerat, ut alio mitteretur, ad verbum Dei remotis gentibus annuntiandum. Destina-

stinatus ergo in Mexicanam Provinciam, e vestigio profectionem adornat; et magnam Hispaniae partem itinere terrestri cum peragrasset, Gadibus navim conscendit, mirifice laetus, quod via sibi, ut olim Xaverio, in bonum animorum laboriosa contingeret. Navigationis tempore probitati ejus commendata fuit novitiorum cura, qui eodem ab Hispanis transducebantur: et his quidem officia praestare non gravatus est, quoties ejus opera exquireretur; potissimum vero intendebat rei christianae publice ad nautas explanandae, ac privatis ad singulos colloquiis morum honestati evincendae. Nescio quo casu Cubensem insulam attigerunt, et Havanam per dies aliquot cum descendissent; illico Gomezius Mexicanae Provinciae ditionem, tanquam spartam sibi commissam, agnovit, quotidianas conciones in Templo excitavit, cives universos mirabiliter movit, et plures eo tempore numerati sunt, quos efficax ejus oratio a perditis moribus ad bonam frugem traduxit. His obiter factis in signum ferventis desiderii, quo intus urebatur, et vehementissime impellebatur ad animorum salutem procurandam; denuo vela solvit, Veramerucem attingit, Mexicum ingreditur, suavissimae sinceritatis indicia confestim praebet, ab Sociis omnibus laudatur, diligitur, colitur, maximopere ab Superioribus aestimatur, post modicum temporis intervallum, Seminarii puerorum, qui grammaticae vacabant, Praefectus renuntiatur. Et attulit ad munus hoc exercendum tum mitissimam indolem, tum re-

otum judicium de institutionis ratione: magni enim interesse putabat, si suavibus verbis, et ingenua sinceritate benevolentiam puerorum sibi inprimis conciliaret. Nec ei defuit auctoritas, quae idonea maxime habetur ad coercenda turbida ingenia; quam vero auctoritatem et vita emendatissima, et religiosa gravitas abunde praestiterunt. Potissima educationis fundamenta jacienda existimavit in Christianis moribus, ad quos assiduus, atque efficax alumnos cohortabatur; et nullam in familiaribus colloquiis elabi sinebat occasionem, quam cupidus non arriperet, ut rectam vivendi normam a teneris illi condiscerent. Praeterea identidem congregabat pueros omnes, ac data opera rem Christianam inculcabat, oratione quidem simplici, et nullo verborum ornatu; tanta vero efficacia, et animi fervore, ut ipsi pueri, quibus ingratae solent esse id generis conciunculae; saepius has fieri, Gomezium precarentur.

Ab hoc munere contendere jubetur Emeritam in Jucatanis, latinitatis Magister. Et haec est Jucatanorum Provincia, quam annos fere triginta quatuor indefessus irrigavit sudoribus; quam totam, ut vastissima extenditur, perlustravit; quam magna ex parte ad novos mores, Christianae Ecclesiae primis temporibus dignos, informavit; in qua demum ab eximia defatigatione, ac laborum diuturnitate sibi meruit Apostoli nomen, ipsi plena voce a viris primoribus attributum. Primo quidem biennio suae commorationis ad Emeritenses actuosam ope-

ram

ram praestitit Magisterio, ad quod venerat designatus; quam operam et auditoribus valde utilem, et Magistratibus plane probatam intelleximus ex viri lectissimi testimonio, in ea urbe plures annos emeriti. Uberiorem autem scribendi copiam suppeditant immensi labores, quos ab ipso statim initio Gomezius posuit in Emeritensium animis excolendis. Ab Sociorum paucitate in eo Collegio, et ab ingentibus negotiis, quae unumquemlibet urgebant in suo implendo munere; pene fidem superat quantum operae dabatur audiendis in Templo sacris confessionibus. Gomezius vero, cui chara inprimis erat salus animorum, nec aliud eo ministerio majoris momenti arbitrabatur; pro urbe amplissima, et magna populi frequentia, magis, magisque ad gloriosi laboris perpetuitatem, et fervorem excitari Socios, desideravit. Non ausus est verbum de hoc aperte facere vir temperantissimus, qui de semet oppido demisse sentiebat; caeterum exemplo praeiens, quotidie cum ad Aram fecisset, in poenitentiae tribunali sedebat; nec inde exurgere solitus erat, donec hora instaret Magisterio concedenda: feriatis vero diebus, aulae curis vacuus, mane totum in eo sacri fori subsellio exigebat. Quo factum est, ut et cives ad expiandas animi sordes, frequentiores accederent, videntes paratum, et expeditum sacro in loco Sacerdotem; et Socii, quasi furtim ab aliis occupationibus ablato tempore, in adjuvandis Gomezii sudoribus, libentissime operam exhiberent. Post exa-

ctum vero Magisterii biennium, omnino solutus docendi munere, nullam ultra sibi dedit requiem a Confessionum Ministerio. Quod ante hoc tempus feriatis diebus fecisse illum demonstravimus; id nunc faciebat toto anni tempore, nunquam ante meridiem frustra in Templo quaesitus a volentibus animum sacra poenitentia purgare: nisi forte aut e suggestu diceret, aut nomine appellatus infirmum consolaretur, aut moribundi lecto assideret. Inoleverat enim per totam urbem Gomezii fama, cujus praedicabant oppidani omnes eximiam vitae sanctimoniam, in animis poenitentia detergendis mirabilem suavitatem, in Deo conciliandis profligatae vitae hominibus actuosam charitatem, in publice objurgandis criminibus incredibilem efficaciam, in Fidei mysteriis enucleandis non indoctam facundiam, in recta morum semita Christianis tradenda copiosam, robustam, atque igne Divino plenam orationem. Proinde quam intente, maximoque cum fructu audiebatur, cum publice diceret; ac fere nemo unus erat in urbe civibus frequentissima, qui sibi moribundo Gomezii opem nominatim non posceret. Ac sane mirabili erat tolerantia in his morti proximis consolandis, atque omni ope juvandis: triduum enim, quatriduumve ad infirmi lectum durare solebat pene immotus, nec somno recreans delassatam naturam; donec aut ille fato concederet, aut periculum evanesceret. Quam Gomezii assiduitatem in bono animorum procurando, ut magnis laetitiae significationibus

demi-

demirabantur externi; ita Socii laudibus fovebant, totoque virium conatu imitabantur. Atque hinc incredibilis ille civium concursus in Societatis templum, ut poenitentia expiarentur, ut caelesti dape reficerentur, ut rem christianam inaudirent, ut religionibus aliis excolerentur; cui multitudini ut fieret satis, opera septem Sociorum, in his indefesse adlaborantium, aegre quidem sufficiebat. Eaque propter Ignatius Padilla, praeclaro nomine vir, ex illustri Augustinianorum familia, qui sacris christianis ibi praeerat Pontifex; cum Provinciam sibi commissam minutatim describeret datis litteris anno 1758. ad summum Ecclesiae Pastorem, haec ajebat: *Jesuitarum in hac urbe Collegium septem constat Sacerdotibus; quorum sudores in mei gregis emolumentum equidem cum voluptate admiror: et certe vitae ipsorum incolumitas, praesertim magni jejunii tempore, instar prodigii mihi est.* In id nimirum incrementi venerant ministeria Societatis, quae Gomezius ingenti defatigatione ad Emeritenses promovit. Facile miraberis, qui haec legas, quanti est unus homo, quem Divina charitas urgeat!

Sed hactenus Gomezium urbis moribus, et domestica disciplina viventem adumbravimus; videamus egredientem in solem, et pulverem. Utinam in Dei gloriam faciliori calamo excurreremus! Ardentis animi praeclarum, atque ingenuum impetum, quem Gomezius in urbana opera demonstrabat, fama intellexit Mexicanae Societatis Praeses; propterea que illum designavit,

vit, ut vastissimam ditionem Emeritensi Pontifici subjectam, sacris excursionibus perlustraret. Huic operae laboriosissimae, ad quam inchoandam summa se voluptate accinxit, praemittere debebat nativae illarum gentium linguae cognitionem, quae Maya nuncupatur, et quam nisi cum primo lacte hauseris, difficile admodum condiscas. Nihil haec difficultas exterruit hominem ferme quadragenarium; qui dari sibi tempus ab Superioribus obtinuit, ut recedens in pagum quemdam, hanc linguae cognitionem, doctore ipso Sacerdote, qui Minister ibi loci Sacrorum erat, attingeret. Annum totum in hoc opere posuit, quasi vitae instituendae tirocinium, quae pium, et religiosum anteactae adhuc aetatis tenorem longissime superaret. Ac sane Minister ille Sacrorum, apud quem novae linguae rudimenta didicit, aperte postmodum ajebat: *Nactus est quidem Gomezius expedite loqui ad Mayas, et in hoc perarduo sermone ad populum dicere, sacras confessiones excipere; id enimvero non tam studii fuit opera, quam assidui flagelli, non interruptae inediae, corporisque mille modis, et severissime castigati.* Sic linguae cognitione ornatus, et copiosissimo virtutum omnium commeatu instructus ad bellum stygiis furiis inferendum, Emeritam post annum remigravit; unde constitutis temporibus hac illac per diversas Provinciae regiones alacris exibat; conciones ubilibet ingenti universorum emolumento excitabat; pueris, et indoctis elementa Christianae Fidei administrabat; perditos, et

nefa-

nefarios homines Christo lucrifaciebat; paratus omni tempore ad afflictorum auxilium, venientes ad se lenissimus excipiebat; in pacificationes inimicorum incredibili strenuitate se interponebat; vestigia religionis, et documenta salutis locis omnibus imprimebat. Sed operae pretium erit, Gomezium peregrinantem, atque ad pagos illos commorantem paulo minutius describere. Mariam Virginem, quam Luminis Matrem appellamus, ejusmodi sacrarum expeditionum Patronam cooptavit; cujus pulcherrimam imaginem tela depictam, certissimum in adversis asylum, nunquam non secum deferebat. Ejus autem peregrinationum haec erat ratio: summo mane jejunus, et pedes iter arripiebat; praeibat explicata Deiparae imago; sequebatur piorum hominum agmen, qui ad tractum non modicum preces Marianas cum Gomezio alternabant: his tandem domum revertentibus, Gomezius, complicata imagine, paululum equitabat, et solus cum famulo in profunda caelestium cogitatione viam pergebat. Aliquot vero milliaribus ante locum, quo properabat, cum indigenae turmatim egrederentur, virum desideratum excepturi, atque in pagum quasi triumpho introlaturi; Gomezius iterum pedes ad se venientes vultu placido salutabat; Mariana effigies denuo expandebatur; altera primae similis pompa instituebatur; piaculares globi, atque aliae precationes in ejusdem Virginis honorem alternis percurrebantur; in his religionibus pagum intrantes, recta templum contendebant;

Ma-

Matrem Luminis venerationi publicae collocabant; Gomezius ad aram ferventissima pietate faciebat. Octo dierum spatium in pago unoquolibet lustrando fere ponebat; eo autem modico tempore quantum desudaret in hominibus Deo conciliandis, et corruptissimis quibusque ad bonam frugem convertendis, vix illi credebant, qui testes aderant oculati. Sacerdotis primae probitatis, et nominis, autographae litterae sunt apud nos, in quibus fidem facit, se pluries audivisse *Parochorum* aliquot testimonium, qui cum domi habuissent, atque intime observassent Gomezium, quo tempore ipsorum gregi excolendo intendebat, postmodum id ajebant: *Xaverius Gomezius non quidem ex carne, ut caeteri sumus mortales, sed omnino ex aere videtur esse conflatus*. Et sane merito admirabantur operosissimam, et austerissimam ejus vitae rationem: nam totas novem horas antemeridianas in sacris expiationibus impertiendis ponebat; prope meridiem pene avulsus ab hoc subsellio, caelestem hostiam immolabat; frugi, fere ad miraculum, se reficiebat, adeo quidem ut interdum tres uncias alimentum non excederet; pomeridiano tempore sesquihoram ut minimum concionibus in templo dabat; quas conciones ad binas alias horas prima noctis vigilia iterabat pro rusticanis, et operis, qui ante solis occasum ab labore cessare non poterant; postremò magnam noctis partem longissimis precationibus, Divinis meditationibus, et cruenta sui corporis flagellatione insumebat. Nec omittendum

dum censemus, quod in publice dicendo, mirifice inflammabatur, et maxima laterum contentione se se in criminis odium effundebat: quod sine immodica naturae agitatione, jam satis extenuatae perpetua inedia, et saevissimo flagellorum usu, fieri profecto non poterat.

Hunc agendi, et vivendi tenorem, cum insigni facultate commovendi animos conjunctum, mirabilis morum mutatio consecuta est. Sacrae ejus orationes nudum erant Dei verbum, nihil arte comptum, nihil eleganti stilo vestitum; eas autem ita tempori, et audientium naturae accommodabat, igneque Divino ita condiebat, ut omnium animos ad arbitrium expugnaret. Nunquam alias apud eas gentes rei Christianae species tam venusta visa fuerat: innumera data sunt conversarum mentium monumenta; restituta Templorum observantia, instauratae religiones, frequentata poenitentia, et caeleste convivium, pacatae simultates, revocatae a quaestu corporis mulierculae, propulsata criminis licentia, praestiti virtuti honores, et cultus. Certatim perveniebant Emeritam datae ad Pontificem litterae ab locorum Primoribus, in quae loca Gomezius, Dei verbum annuntians, excurrebat: quae quidem litterae, omnes in id convenientes, ut res ab hoc mirabili viro gestas palam facerent; uberrimos fructus ab ejusdem sacris excursionibus luculentissime testabantur. Tabascus Provincia est eidem Pontifici subjecta, vastissima illa quidem, et commerciis florens, et pagis frequentissima;

gla-

glareosa vero inprimis, et nimio caeli aestu affatim ingrata, nisi perpetuo desudare ab infantia didiceris. Hanc Provinciam Gomezius excolens toto continenter anno, supra humanam fidem adlaboravit; adeo quidem ut procedente tempore id ab ejus ore saepius prodierit: *Duntaxat si licebit, judici olim meo Jesu Christo repraesentare immensos labores, quibus ad Tabascos perfunctus ipsum annum duravi; equidem spero, mihi fore misericordem.* Nihil faciebat vir tolerantissimus angustias, incommoda, pericula, calamitates, aerumnas, quas reliquo vitae suae tempore comites habuit individuas; nihil haec omnia judicabat, cum Tabascum meminerat. Beati vero labores! a quibus videre tandem potuit eam fructus ubertatem, ut omnino regenerata Christo Provincia diceretur. Ejus opera nullus fuit ea tempestate in Tabaschis, qui'n animum poenitentia expiaret, moresque ad Christiani nominis officia componeret. Id autem ut obtineret vir eximiae charitatis, et efficacissimae strenuitatis in animorum salutem, nulli parcebat operae, industriae, suimet corporis macerationi. Accidit in pago quodam, cum concionaretur de criminum poena luenda vel in hac mortalitate, vel post eam depositam; ut supra modum repente incalesceret, e suggestu descenderet, in templi medio genua flecteret, scuticam exereret, atque indigenae ibi propinquo ita ex potestate imperaret: *Verbera me ad centum plagas, quas equidem dabo poenas irato Numini ab istius populi sceleribus.* Renuebat ille

insae-

insaevire in sacrum hominem; sed hoc urgente, ac serio imperium iterante, obtemperatum est ultra prudentiae terminos, donec Gomezius exanimatus, et cruentatus concidit. Absit sane, quod credatur, id a nobis narrari tanquam imitandum: res enim est, quae merito videri possit non ad prudentiae normam, et instituta; id tamen si ex eventu ponderetur, ex iis esse dixeris virorum simplicium facinoribus, quae a Numine non reprobari dixeris. Liceat, hanc appelles infirmitatem consilii, sed ab eximia charitate profectam, et qua in bonum Religionis, et maximum virtutis incrementum uti solet, qui vitae, mortis, atque infirmitatis humanae Dominus est, nunquam, in rudes praesertim populos, non misericors. Et profecto commoti veluti ostento Divino, qui subjacentem flagello, cadentemque Gomezium viderant, stupore primum perculsi sunt, inde vero fletus maximi, et ejulatus universorum, qui magna frequentia in Templo aderant: et ab hoc facinore quanti fructus! quam ardentia vota ultro in semet animadvertendi! Nec in rudi duntàxat populo, ad cujus aures rarius perveniebat Dei verbum; sed in ipsis etiam Sacrorum Ministris mirae conversiones a perditis moribus ad honestatem, et christianam frugem visae sunt. Post annum ad Tabascos positum, urgebat tempus, quo deberet Emeritam remigrare; sed intimo dolore correptus, quod nec una saltem concione vicum excoluisset, itinere unius diei distantem; procrastinato reditu in urbem, illac perrexit.

rexit. Et paraverat dicendi materiem de criminis foeditate; sed quo tempore suggestum ascendebat, omnino immutavit propositum, et morientem peccatorem descripsit iis coloribus, ut salutaris admodum pavor omnes animos occupaverit. Qui Sacris eo in loco praeerat, nefariis ad hoc tempus moribus vixerat, nec saltem cautus commisso sibi gregi suam vivendi licentiam celari curaverat; Gomezio autem dicente, tantopere concussus est, ut ad ejus pedes adhuc in suggestu festinaverit; de vita emendanda multus, et palam dixerit; quod malo exemplo fuerat, veniam ab adstantibus postulaverit; apud Gomezium anteactae vitae seriem deposuerit, animumque sacra poenitentia deterserit; vitam omnino aliam ab ea concione ad postremum usque spiritum instituerit; nec unquam, quo tempore superfuit, octavo quoque die litteras dare Gomezio cessaverit, ipsumque certiorem facere de sui animi motibus universis.

Alibi etiam Sacrorum Minister, cui fuerat diuturna vitae series in criminum volutabro; cunctas animi sordes ingenti dolore apud Gomezium purgavit; Divinis commentationibus totos octo dies, ipso duce, ac doctore vacavit; tacitus adivit Pontificem, et muneri renuntiavit, id causatus: male se posse conscientias eorum regere, apud quos ipse sibi dissolutis moribus publicam infamiam captaverat. Pontifex vero ex Gomezii consilio negavit oportere, ut ab officio recederet; quin imo consentaneum esse duxit, ut, ubi pessimi

exem-

exempli fuerat, ibi recantatis criminibus, potissima cura saluti animorum intenderet. Mensem totum duravit Gomezius in lustranda, et patientissime excolenda ditione illius Parochi; a quo mense incredibilis ibi extitit morum commutatio. Et Parochus quidem, qui postmodum insigni floruit vitae sanctimonia, praedicare nunquam sinebat Gomezii verborum efficaciam; cujus opera grex ille suus ab ea aetate Christo conciliatus, et Divino igne veluti recusus, eo vitae inculpatae devenerat, ut, qui casu illac transirent, quamsimillimam Ecclesiae primaevae imaginem mirarentur. Ab eo tempore praecipua fuit cura Emeritensium Pontificum, quoties aut fato concederet, aut alio promoveretur, qui Sacrorum ibi erat Minister; novum eligere, qui spectabilis inprimis esset probitate, doctrina, et morum gravitate; ne offenderet delicatam earum gentium conscientiam, et sanctissimum tenorem, quo instar familiae religiosis legibus constitutae vivebant. Ter Gomezius redivit ad populum istum sibi charissimum, cujus revocatio ad salutem peculiarissimis ab se fuerat comparata sudoribus: et hanc trinam excursionem cum postea memorabat, nec umbram peccati se invenisse in exceptis ibi confessionibus, palam testabatur. Et ne uno utamur Gomezii testimonio, palam praedicabatur ab universis in Jucatania, vicum illum felicissimum mirabili virtute florescere supra quam vulgo fert, in turba qualibet multorum, ratio mortalitatis.

Nec modice juvit ad harum excursionum fructum augendum, quod quotidianae jactabantur Gomezii vaticinationes, et ostenta: plura enim praenuntiare ferebatur et absentia, et futura, et quae in arcanis intimis homines reservabant. Ex immenso ejusmodi rerum cumulo strictim, et cursim perpauca congeremus; quoniam ex operis instituto studemus brevitati. Salpae in Tabaschis altero die ab sacris inceptis concionibus, famulum viae comitem summo mane vocat, imperatque, ut paret omnia, quae viatici erant, tanquam essent continuo profecturi; quo monito, in templum de more contendit. Neglexit famulus imperium exequi; sed nondum mane adulto, ecce horribilis pavor a flammarum crepitu, et exundantis ignis fragore: ardebant enim Parochi aedes, apud quem Gomezius diversabatur. Post restinctas flammas non modico aedium detrimento, incolumi autem Gomezii supellectili; publice objurgavit hic famulum, quod non obtemperasset; cum vero interrogaretur, num praesciisset incendium? modeste respondit: *Nesciebam certe incendium; sed nescio qua de causa nonnihil calamitatis venturum odorabar*. In eodem pago tres adolescentes germani fratres, honesto loco nati, cum quadam die, sacrarum concionum tempore, rusticatum, convivatum, tripudiatum contendissent; postridie Gomezius ad poenitentiae tribunal immenso populo circumdatus, adolescentium eorum Matrem conspexit, quam nec facie (ut fertur) ante noverat; et nutu ad se vocatam, clam inter-

ter-

terrogavit, ubinam ejus filii diem hesternam transegissent? Quae cum attonita, et filiorum licentiam dolens, rem totam fateretur: *At*, inquit Gomezius, *ab liberiori educatione tibi magna ex parte imputa dissolutos ipsorum mores; propterea paratum, oportet, habeas animum ad aerumnas perferendas; futurum est enim, ut primus huc atque huc ab equo praereptus occidat, alter cornu tauri petitus, tertius mucrone confossus*. Quod primi, et secundi est, tam solemnis vaticinii fidem liberavit eventus; cum vero Emerita Socii depulsi sunt, supererat tertius; et si ad haec tempora supersit, Numen obsecramus, ut vaticinium ea parte fuerit instar praenuntiatae ruinae Ninivitis. Cundoacani, qui Tabaschi pagus est, gravi morbo decumbebat vir quidam ex primariis ibi gentium, cui cognomen Palacius; Gomezius autem ad populum in Templo cum diceret, repente abrumpens orationem: *Deo commendemus*, ait, *Palacii animam*, quae certe in eo puncto temporis a corpore abierat. Alibi postquam ingenti, ut solebat, contentione, atque animi ardore dixerat, e suggestu descendit; et casu intuens obvium hominem, ad populum se convertit, manuque ostentans Christi simulacrum, nec ulla personae designatione, iterum elata voce in haec irruit: *Quousque tandem in flagitiorum coeno decumbes? Ecce jam septennis, contempta, et derelicta conjuge, moecharis*. Idque generis alia enuntiavit crimina, quasi alicujus flagitiosam vitam describeret. Vix autem loqui cessaverat, ad ejus pe-

des provolvitur idem ille homo, quem, e suggestu cum descenderet, casu conspexerat; et qui sordes animi sui purgari efflagitans: *Omnino*, inquit, *mea crimina haec sunt, in quae modo invehebas; nullum praetermisisti, nullum non aperuisti: unde nihil ultra est, quod tibi pro sacra poenitentia manifestem*. In parvulo vico Emeritensis jurisdictionis concionabatur sub dio Gomezius, quoniam populi multitudinem capere templum non poterat; cum repente turbari, qui aderant, et tantum non dare se fugae animadvertit. Rogavit illico, quid rei esset? Cumque respondissent, rabidi Tauri mugitus exaudiri, qui per eos dies non levia damna paganis importaverat; obfirmata voce Gomezius: *Nemo vestrum*, ait, *e loco decedat; nec enim aut in praesenti, aut unquam in posterum ab isto tauro jacturam habebitis*. Interea furens bellua jam proxime irrumpebat in multitudinem; sed Gomezius Christi nomine, quem manu gestabat, venienti imperavit, ut gradum sisteret. Visa est audire vocem, repente constitit, humi procubuit; et soluta demum concione, jussa in saltus abire, ubi neminem offenderet, nusquam amplius comparuit. Non ignoramus potuisse belluam expavescere, ac veluti stupefieri ad numerosum conventum; nec ultra in locum rediisse, quoniam aut morbus natura cessaverit, aut illa tandem per avios montes decubuerit. Sed instar ostenti nobis est, eam fuisse Gomezii dicentis auctoritatem, quae continere in loco potuerit trepidantem pavore multitudinem,

ex

ex omni sexu, atque aetate conflatam. Quidquid fuerit de hujus eventus natura, nihil illo aut magis vulgatum per universam Provinciam, aut magis confirmatum luculentissimis testimoniis. Profecturum Gomezium ex uno in alterum pagum, ubi diem praefixerat pro sacris concionibus occipiendis, nemo erat, qui auderet comitari; quoniam timebant omnes a coelo nubibus obducto, a vento immaniter concitato, a fulgetris, et tonitruis: promittit ille, fore, ut sint immunes ab imbribus; fidem praestant; consuetum agmen instituitur; pago exeunt, in quem illico pluvia ingruit; Marianos globos de more percurrunt; oppido madidam viam reperiunt; ipsi vero solis pedibus madefactis in terminum peregrinationis perveniunt. Quaedam erat nupta juvenis, domi nobilis; cerebrosa vero, et quae temere vivebat a marito disjuncta, quin aut Pontifex, aut loci Praefectus illam potuissent ab bonam mentem perducere. Accessit pro sacris confessionibus ad Gomezium, cujus monitis de conjunctione cum marito nolens obtemperare, jam fere abibat non expiata; cum conversus ad Luminis Matrem Gomezius: *Ita ne*, secreto ait, *peribit haec anima?* Inde autem elatiori voce, quae posset audiri a genuflexa adhuc foemina: *Mitte huc*, inquit, *o Deipara, malum genium, qui deformior sit apud inferos; et ego fidem faciam ultro velle hanc Matronam se se ad illos aeternum detrudere*. Ad haec sola verba mirabili conversione ingemuit juvenis, manus confestim dedit, in mariti po-

 testa-

testatem se tradidit, et in reconciliati animi significationem ambo Gomezium ad quadraginta fere milliaria comitati sunt. Venit ad Gomezium agricola enixe rogans; ut agello suo pluviam a Numine impetraret; nisi enim intra diem plueret, omnia semina; quae sibi pro victu annuo spes erant; sine dubio peribant. Ita supplicanti donat ille flores, qui fuerant ad aram Matris Luminis, imperatque, ut quatuor agelli angulos iisdem conspergat. Agricola obedit; coelum flectitur, pluvia decidit; campi virescunt, fructus proveniunt; infelix sublevatur. Id generis mira ferebantur innumera de Gomezio per universam Provinciam; a quibus memorandis abstinendum duximus, tum institutae brevitatis causa; tum etiam ne fastidio simus lectori tot eventuum inter se quamsimilium narratione. Quam vero haec ostentorum Gomezii fama per Emeritenses; et Tabascos inoleverit; satis demonstravit Antonius Alcaldius; vir clarissimus e Dominicana familia; tunc Jucatanorum, hodie Guadalaxarensium in Nova Gallecia, provectissima aetate Pontifex; qui cum ab lustrata sua ditione remigrasset Emeritam; ita Gomezium allocutus est: *Plura te inaudivi patrasse olim miracula in sacris excursionibus; quod si ante meam profectionem haec mihi nota fuisset tua virtus; te certe molestiae peregrinationis comitem detulissem.*

Ab his pervulgatis ostentis; a publicis laboribus in animorum utilitatem, praecipue vero ab ingenuo admodum candore, et castigatis-

sima

sima vitae ratione, incredibilis erat Gomezii sanctitatis opinio, in quam universa Jucatania consenserat. Nihil ad eas gentes apertius propagatum, quam assidua colloquia cum Matre Luminis Gomezium agitare. Id enimvero liquidum: cum plura praenuntiaret, quae cognitionis humanae potestatem videbantur excedere, atque a curiosis nonnullis rogaretur, undenam praenovisset, rem ita futuram? ut erat columbina sinceritate, nihil gravabatur palam asserere, id se a Matre Luminis didicisse. Quae profecto Mater Luminis pluribus demonstravit, gratam sibi operam esse, quam ille actuosam praestabat in animabus Deo conciliandis. Multis, magnisque flagitiis inquinatus erat homo, cui per quietem se dedit conspiciendá Luminis Mater, admonitumque de damnationis aeternae periculo, cohortatur, ut apud Gomezium animam expiet in poenitentiae tribunali: semel, et iterum tentavit ille salutare consilium facessere, nec obtinere potuit prae multitudine accedentium, qua nunquam non refertum invenit sacri fori subsellium; donec iterum visa per somnium Deipara designavit horam, qua vacuum Gomezium reperiret: summa strenuitate praestolatur constitutam horam, quae tertia erat post noctis concubium; ingreditur Templum; et opportune Gomezius ad operam sedebat. Aliis etiam persuasisse Deipara ferebatur, ut apud eumdem operarium, sibi inprimis acceptum, peccata deponerent. Proinde nemo erat unus in Jucatanis, quin Gomezio, veluti Superis charissimo

viro, et in Rempublicam utilissimo civi venerationem tribueret. Multas dederunt hujus venerationis, et praecipuae benevolentiae in talem virum significationes, quotquot fuere per eam aetatem Emeritensium Pontifices: inter hos autem eminuere Franciscus Mattius Coronadus, doctrina clarissimus, qui a Jucatanis translatus ad Ecclesiam Michoacanensem, in Mexicana tandem Sociorum domo supremum diem clausit; et Franciscus Tejada, vir insigni sanctimonia, e Franciscana familia, qui ab regendis Emeritensibus ad sedem Guadalaxarensem in Novohispanis immigravit. Ac Mattius quidem quo tempore suam ditionem perlustravit, laborum comitem, ac ducem secum detulit Gomezium, cujus consilio Pontifex ille desudabat in concionando per pagos, animisque tergendis in sacrae poenitentiae subsellio intendebat; Tejada vero quoties aliquam Provinciae suae regionem adire cum potestate constituebat, Gomezium praemittere solitus erat, qui sacris concionibus tanquam viam pararet subsecuturo Pontifici. Nec minus venerati sunt hominem, qui per id temporis Regii Praefecti fuerunt in Jucatanis; praecipue vero Benavidius, et Marchio Jscarensis, qui sibi Gomezium consiliorum doctorem, et conscientiae arbitrum destinarunt. Melchior Navarretus, vir clarissima nobilitate, cui Praefecturae suae tempore natus est filius in Jucatanis, ad sacrae Lavationis caerimoniam Pontificem administrum, Gomezium sponsorem appellavit. Franciscus Echanus, qui sacrorum

Mi-

Minister in pago quodam Gomezium habuit contubernalem, atque inde doctrinae, ac virtutis excellentia evectus fuit ad primam Dignitatem in Emeritensium Canonicorum Collegio, in praecipuis erat viri hujus admiratoribus: et cum dioecesim longo tempore administraret, demortuo Padilla Pontifice, pluresque ad eum datae fuissent litterae a primis pagorum Sacerdotibus de Gomezii ostentis, et miris virtutibus; nihil dubitabat illum appellare thesaurum Emeritae, Apostolum Jucataniae. Joannes Uria, magnum nomen in Sociis Mexicanis a vitae innocentia, profunda doctrina, et morum dignitate, nactus occasionem intime agendi cum Gomezio, aperte dicere postea consuevit: *Hic certe vir sanctus inter primos est*. Neque vero mirum, hunc fuisse bonorum omnium consensum in eo viro laudando, qui omnino fuit sine dolo, sine invidia, sine ulla erroris voluntarii suspicione; quo nihil fieri poterat emendatius, nihil magis idoneum ad amorem virtutis excitandum.

Cumulata vero mensura dierum, quibus Gomezius ex Numinis decreto adlaborare in Jucatanis debuerat; solum vertere cum Sociis omnibus jubetur, atque in Italiam navigare. Ad hanc inopinatam legem nihil penitus immutavit vultus hilaritatem; quam etiam longissimae peregrinationis narrata saepius incommoda, et pericula nihil conturbarunt. Bononiam in Pontificia ditione perveniens, vitam egit privatam nulli molestus, contubernalibus apprime acceptus

ab

ab singulari vitae innocentia, et in domestico silentio fere non interrupte vacans Divinis meditationibus. Eversa Societate, germanus ejus frater natu minor, qui Socius Adjutor fuerat in Aragoniis, Ferraria Bononiam cum venisset; illi Gomezius omnem rei domesticae curam remisit, atque ejus voluntati, tanquam puer elementarius Magistri nutibus, ultro se subjecit. Quare omnino liber a negotiis, quae sunt corporis; nihil obfuit, quominus vitam prorsus dignam coelestibus institueret. Quotidie bene mane, postquam horam totam de more Divina meditatus fuerat, in Divi Bartholomaei Templum contendebat. Id autem hibernis mensibus erat ante diluculum; interdumque ita veniebat solicitus, ac nimium sedulus, ut, dum valvae reserarentur, non modico tempore ad ipsa aedium limina genuflecteret. Destinatam sibi horam, qua sacram victimam immolaret, humili vultu, silens, unique Deo intentus expectabat. Quae demississima pietas in homine propemodum octogenario et magni erat exempli sacrarium intrantibus; et ita movit Aeditui misericordiam, ut nulla injuria caeterorum, qui ad sacrum celebrandum confluebant, Gomezium, quamcitissime poterat, expediret. Cum ad aram fecisset, genibus in Templo nixus, demissis oculis, toto corpore ad eximiam modestiam compositus, plenus mysterii religione, immotusque ad multum mane sacrificiis intererat, quorum copia est in illis Aedibus ingenti bonorum gaudio, qui toto fere mane pietatis fomentum

tum ibi reperiunt. Postremis autem annis, octuagenario major quotidie ibat longo itinere ad Sacrum celebrandum in templo Divae Catharinae; sanctimonialis Bononiensis; quam vulgari homine *Sanctam* cives appellant: Cadaver ejus Virginis; quod a copia prodigiorum oppido famosum est; nigro jam colore; sed plane incorruptum sedet in parvulo sacello, quod sacris Aedibus adjacet; ac publicae venerationi solet per cancellos patere. Quidquid antemeridiani temporis Gomezio supererat; domi consumebat in fervidis precationibus; genuflexus ad arulam, quam in suomet cubiculo excitarat; papyraceis ornatam imaginibus eorum Divorum; quos potissima religione prosequebatur. Et plures erant Superi, quos in praecipue sibi charis numerabat; nec diem unquam praetermittebat; quin precationes ad singulos protraheret; ipsorumque operam ad humanos casus imploraret. Pomeridiano tempore, cum consuetas preces ex munere Sacerdotali solvisset, domo exibat; sive ut diem in templo clauderet; ubi inceperat; sive ut infirmum aliquem solaretur; sive ut operam daret sacrae poenitentiae ministerio; sive illum alio charitas evocaret: Noctu recedebat in charum cubiculi silentium, ubi se se; nullo arbitro; in Divinos amores effundebat.

Sed homo natura irrequietus; et actuosus; qui strenuae operae gravissimis in occupationibus tot annos assueverat; perperam in hoc otio languesceret, nisi labores, et Apostolatum in solo alieno perpetuandi rationem invenisset. Noverat

verat primum Italos jam fere septuagenarius; quae quidem aetas nihil idonea est ad novarum linguarum cognitionem. Sed quas non vincit difficultates Divina charitas! Hac agitatus Gomezius, omnia naviter in animi sinceritate aggrediebatur. Linguae ignarus, aetate defessus, valetudine non modice prostratus, nihil dubitabat tota urbe vagari, atque in domos introferri, ubi ubi ad afflictos, ad infirmos, ad moribundos vocaretur: irrepserat enim per Bononienses fama de viri sanctimonia, et ostentis; quam sane famam, ejusdem vitae ratio, et quaedam velut infantilis innocentia, mirabiliter confirmabant. Fuit quidam Bononiensis, qui quo die primum cum Gomezio collocutus est, tametsi nihil antea de virtutibus ejus audiisset, nec de caelestibus beneficiis, quibus illum Deus cumulabat, aperte tamen pronuntiavit: *Nunquam hominem conspexi magis idoneum ad patranda miracula*. Innumeri erant infirmi, a quibus nuntii veniebant, urgere precibus Gomezium, ut fausta precaturus, ad eos contenderet. Ille autem confestim ibat, et infirmis ostentans reliquias Divi Cyri, quas collo appensas nunquam non secum deferebat; plura de Divi ejusdem virtutibus, et beneficiis a coelo impertitis, ipso deprecante, memorabat. Inde languentis capiti reliquias apponebat, ejusdem fiduciam excitabat, ferventi religione Divum precabatur, blandissimis verbis jacentem erigebat, nec elabi sinebat occasionem, animorum salutem, qua poterat, procurandi: data enim opera subnecte-

bat

bat colloquia cum iis, qui aderant, de amore Numini praestando, de criminis turpitudine, de fluxarum rerum inanitate, de patientia in morbis, de magnanimitate in adversis, de temperantia in secundis. Et sermo quidem in ejusmodi colloquiis, ut senis peregrini, cui nullum fuerat linguae studium, omnino erat ex hispano, et italo, et latino mixtus; ut aegerrime posset ab audientibus, et aliquando prorsus nequiret intelligi. Verum ea erat pietatis abundantia, isque ardor, velut ignis Divinus, e toto dicentis vultu emicabat; ut copiosissimi fructus ab ejus verborum semine nascerentur. Hinc illa erat incredibilis benevolentia, quam Bononienses Gomezio tribuebant; nec ipsum alio nomine, nisi Patris a Divo Cyro, appellabant; tum a praedictis reliquiis, quae miras interdum attulere sanationes; tum a propagato cultu per varios urbis angulos, ubi ejus Divi, nihil antea noti, simulacra cernuntur. Nec ad pauperes duntaxat, et derelictos ex faece hominum vocabatur; quin imo plures erant ridenti fortuna, qui, ut aeger aliquis domi erat, Gomezium ad se venire precabantur. Sanctimoniales etiam, quanquam longissime abessent, saepius ad eum mittebant supplices nuntios, ne gravaretur ad eas vel aegrotas, vel afflictas accedere. Ille vero, nullo personarum discrimine, praesto erat omnibus, et unicuilibet juxta necessitatis mensuram remedium adhibebat. Sane mirum erat, quod infirmorum venam pulsans, cum primum ad eos veniret; nulla interdum cunctatione,

quis

quis morbi esset futurus exitus, pronuntiabat. Et fuit quidam in arte medica peritus, qui sine superno lumine omnino id posse fieri negavit. Nec semel accidit, quod, aegroti lecto proximus cum esset, repente ad alterum, qui sanus aderat, conversus, palam enuntiaverit: *Tu quidem ante hunc morieris*. Et probavisse fertur eventus vaticinium; ut mirabiliter ad valetudinem revocati narrabantur innumeri, quibus Gomezius fausta precatus fuerat, aut Matre Luminis, aut Divis Cyro, Lojola, Gonzaga, deprecatoribus. Transibat quadam die prope domum, ubi graviter decumbenti reliquias Divi Cyri pridie apposuerat; cum repente vocem audit: *Ascende, Pater, fecisti prodigium; ecce sanus est, qui fuerat heri morti proximus*. Ille vero consueta temperantia: *Non mihi certe*, ait, *sed Divo Cyro est attribuendum miraculum*. Tum vero, ut olim etiam in Jucatanis, aperte dictum est: *Bonus hic senex, miris ab se rebus effectis, Divi Cyri nomen causatur*. Vaticinationes autem, quarum magnum ad nos allatum numerum omittimus, ne ab instituto deficiamus, ea silendi, quae vulgi narrationibus propagata suspicamur; has, inquam, vaticinationes, nullo Divi apposito nomine pronuntiare solitus ferebatur. Unam seligimus memorandam, quam se paratum esse jurejurando testari, Bononiensis quidam honesto genere affirmabat. Huic in suburbanum proficiscenti Gomezius palam annuntiavit: *Ecce rusticatum contendis; redibis Bononiam; sed non omnes, qui te comitantur*. Et sane rusticationis

tem-

tempore filia, quae una erat ex comitibus, pustulis corripitur, fato concedit, rurique in propinquis aedibus tumulatur. In his autem quotidianis per urbem excursionibus incredibilis erat hominis defatigatio, qui hanc novi Apostolatus rationem inchoavit aetatis anno septuagesimo quarto, nec cessavit toto decennio, donec postrema infirmitas militem strenuum in opere occupavit. Saepe quidem, cum ad infirmos pergeret, miserum in modum in via concidit; sive stomachi dolore opprimeretur, qui morbus juventa olim floridum, et virum etiam vexaverat, cum ipsoque consenuerat; sive ab aliis aetatis incommodis, et summis inediae voluntariae austeritatibus, languore deficeret: unde opus erat non semel alienis humeris domum reduci. Quodam die vocatus ab Sacris Virginibus, nulla cunctatione in gynaeceum properat; sed viam cum ageret, a dolore stomachi repente cadit: accurrunt nonnulli misericordia commoti, venerandum Senem extollunt, diversorium ejus inquirunt, sellam gestatoriam sponte offerunt. Ille vero: *Itane?* inquit, *Jesus Christus in cruce; Gomezius in gestatorio? Id certe honoris meam conditionem non decet; nunquam equidem tale patiar*. Proinde ne senis dolore afflicti temperantia offenderetur, bajulorum opera utcunque domum defertur.

Anno tandem 1784, postridie Nonas Junias, quo die Sanctissimae Trinitatis festum agebatur, a peracto sacrificio domum reversus, in cubiculo corruit. Solus erat, nec nisi post multas

tas horas ad eum venit, qui male in terra jacentem animadverteret. Cum vero advenisset auxilium, levari semianimis aegre potuit, brachium tamen dexterum nihil movebat: quod postremum initio dabatur tum contusionis vehementiae, dum caderet; tum incommodae positurae, qua super idem brachium ad plures continenter horas immotus jacuerat; paulo autem post linguae torpor apoplexin declaravit. In lecto decubuit, a quo non amplius exurgere datum est, et qui ad menses quinque et dimidium viro illi fuit ingentium dolorum theatrum, ut maximi etiam meriti a mirabili tolerantia, et virtutum universitate, quibus eo potissimum tempore magnanimus excelluit. Nulla erat illi requies, aut status corporis, in quo tantisper cessaret a doloribus: nam dormire supinus nunquam assueverat; super brachium dexterum cubare prorsus non poterat a praesenti valetudine; sinistro egebat libero, quod unum sibi erat pro humanis usibus. Quapropter pensatis omnibus, dorso demum elegit incumbere; qui status corporis, quieti ejus contrarius, ut dudum demonstravimus, perpetuus illi fuit ab eo tempore, ac plagas illas attulit, a quibus Gomezius in lecto se se Jobi in sterquilinio perfectissimam dedit imaginem. Semper aequabilis, et sui similis, etiam in summis doloribus docuit Sanctorum disciplinam, quae in conjunctione suaemet voluntatis cum Divina maxime continetur. Liberali vultu excipiebat ad se venientes; et interrogatus, ut infirmi de more, qui

se

se haberet? *Hic facio*, tranquillus ajebat, *Divinam voluntatem*. Hanc diu, noctuque in dolorum delinimentum usurpabat; ut fere non interrupte ab ejus ore audiretur: *Una in me fiat Dei voluntas*: aut illud etiam votum ferventissime pronuntiatum: *Cum Jesu cruci affixo cruci affixus et ego vivere, ac mori cupio*. Atque eo persuasum habebat, hoc sibi a coelo dandum, quod in votis erat; ut primis ejus morbi diebus ad familiarem asseveraverit: *Priusquam e vivis abiero, me Dei voluntate cruce fixum iri non dubito*. Nec sane multum abfuit postremis mensibus a crucis tormento; cum nec a semet motum omnino haberet, nec ulla fere pars ejus corporis vacaret doloribus. Mortem lento gressu venientem non modo serenus vultu, sed etiam voluptate gestiens, atque excelsa quadam altitudine animi conspexit; et jam ab initio morbi affirmavit, ad mortis, quae instabat, nuntium nihil admodum se timere. Nec diuturnum illud naturae incommodum in sui commodum vertit, nec in lecto constitutus exemit se a pene innumeris precationibus, quibus magnam diei partem consumere secunda valetudine assueverat. In his mirabundus interdum exclamare audiebatur: *Jesus Christus in cruce; et ego in lectulo! Ego, inquam, qui Deum offendi! Qui merui ad puniendos aeterno supplicio numerari!* Et sane quis crederet, haec audiens, jacere Gomezium in cubili oppido molli, atque omnigenis bonis ibi affluere. At lectus ejus is erat, qnalis decebat hominem animo, et re pauperem, et qui jam

pene ab infantia corpori suo bellum indixerat, nec ardorem in semet praeliandi senex remiserat: lectus durissimus, atque olidus, ut fert humana mortalitas in diuturna valetudine, cum aegrotum sine gravis detrimenti periculo movere non possis: lectus certe, si usquam alius, dolorum, et miseriae a contracta plagarum perpetuitate ob posituram corporis nulla interruptione supini. Ad haec supervenere febres, aliique acerbissimi dolores, qui a misero infirmo, tametsi patientia incredibili ad omnia parato, interdum tamen gemitus extorquebant. Post quinque circiter menses molestissimae aegritudinis, cum proximum videretur adesse periculum, ad postremas religiones ventum est. Suavissimi quidem spectaculi fuit omnibus adstantibus, cum excepit ingenti vultus hilaritate, ac lachrimarum profluvio Jesum Eucharisticum; nec eo toto die cum ullo mortalium admisit colloquia, id causatus: *Hodie Divinum hospitem, meum Dominum mecum habeo; nihil superest temporis ad otiandum cum humanis*. Quem ipsum ab hominibus recessum constanter habere voluit, quoties per eos dies hac caelesti dape recreatus est. Atque hoc solitudinis tempore ita erat abstractus ab omnibus mortalium curis, et Divina voluptate in altissimo silentio delibutus, ut videretur aut somno plane obrutus, aut veterno morbi occupatus: palam tamen erat, omnino sui esse compotem; nam roganti de re qualibet valetudinis administro, ille opportune ad omnia respondebat. Sacro jam jam ungen-

dus

dus oleo, cum demissis esset oculis, nec proximae religioni videretur intendere, admonitus est ab Sacerdote quodam, tempus esse idoneum, ut Fidem, Fiduciam, Charitatem, atque alias virtutes excitaret. Cui Gomezius: *Id certe hoc temporis momento tacitus agebam*. Cum ungente Sacerdote preces alternavit, ad omniaque ferventer elata voce respondit; a qua demum religione in illa erupit sibi consueta: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* Ab eo autem tempore caelestibus, quam mortalibus, erat similior; humanis rebus omnino valedixit; nec ultra passus est apud se agi, nisi de iis, quae Deum saperent. Saepius audiebatur Divina flamma, qua intus conflagrabat, foris prodire in perfectissimum Numinis amorem, in demissam patiendi voluntatem, in gratiarum actionem tum pro acceptis beneficiis, tum pro cruciatuum praesentium magnitudine. Animam suam, jam prope solvendam a corporis vinculis, Deo commendabat tanto fervore, ac vocis contentione; ut Sacerdos ipsius conscientiae arbiter identidem imperaverit abstinere ab ejusmodi conatibus, ne interitum maturaret. Pridie ante mortem terribilis admodum fuit ei luctatio: mente quidem sanus erat, atque integer; auribus vero, et lingua captus adeo, ut nec prorsus audiret, nisi vociferationibus appellatus immodicis; nec intimos valeret sensus expromere, nec ea saltem pronuntiare verba, quibus toto infirmitatis tempore assiduas reddebat gratias valetudinis administro. Solummodo erum-

pebat in afflictae naturae miserabiles gemitus; a quibus facile conjectum est, eo praesertim die purgatam justissimi viri animam, quae postridie volaret ad beatam aeternitatem. Et volavit quidem, ut non temere speramus ab ejus laboriosissimae vitae serie, praeclarisque virtutibus, pridie Marianae *Praesentationis*, hora, et sesqui post meridiem, anno 1784.

Defuncti exuviae toto biduo inhumatae permanserunt, nihil olentes, aut ullum dantes aliud corruptionis indicium; quin imo candidiores modo, et formosiores, quam vitae tempore apparuerant. Postridie Praesentationis, exequiarum officium persolutum est in paroeciali Templo, cui nomen Divus Thomas in via Majore: post quas exequias, dum aliqua parabantur ad convenientem humationem, sub dio depositum est cadaver in capsa, funereo panno coopertum. Ibi Sacerdos quidam, defuncti corpus flexibile cum audiret; manus ejus, et faciem ad arbitrium contrectavit, sibique visus est puerum tangere mollem, ac delicatum. Ne vero aut sensus fallerentur, aut posset argui levitatis, testem appellavit hominem doctrinae non vulgaris, et in quo nulla esset suspicionis macula, quod veritati non faveret; qui testis, adhibita strenua diligentia, et rebus omnibus perpensis, nihil dubitavit asserere, mirum sibi omnino videri, et fere praeter naturae ordinem, quod corpus, ante horas undequinquaginta exanimatum, flexibile permaneret. Sed adhuc post tres horas luculentius rem experiri Sacerdos ille consti-

stituit; et vocato viro publicae fidei (qui jusjurandum interponeret, si aliquando requireretur) coram duodecim fere testibus, quorum unus erat magnae auctoritatis, cadaver esse flexibile multis experimentis confirmatum est. Hinc admiratione correpti, qui aderant, temperare se non potuerunt ab significationibus in honorem corporis, quod fuerat tot annos vinculis conjunctum cum anima, jam ab interitus momento, ut credebant, ad caelestes adlecta. Et sane quod corporis natura exsucci fuerit Gomezius; quod aetatis annum octogesimum quartum numeraverit; quod ad eos canos in summa defatigatione pervenerit; quod inedia non interrupta, et pluribus macerationibus corpus attenuaverit; quod ulceribus, et doloribus confectus, quinque menses, et pene dimidium in lecto jacuerit; quod mortem ejus biduum oppido frigidum consecutum fuerit; haec certe omnia nihil favebant post horas quinquaginta duas, ut cadaver facile flecteretur. Jacet in praedicti Templi Sacello, Jesu Cruce fixi religionibus consecrato. In sepulchro juxta corpus apposita est ampulla vitrea, schedulam continens, in qua brevem ejusdem virtutum memoriam descripserat manus elegantissima; sepulchrum autem lapide clauditur, ubi legas Gomezii nomen, nationem, obitus diem, aetatem.

A pluribus quidem virtutibus, gestisque mirabilibus meruit Gomezius posterorum memoriae commendari viros inter eximiae magnitudinis; quarum virtutum, et gestorum docu-

menta partim a nobis demonstrata sunt, partim mox congesta breviter delibabimus. At vero historicae fidei male consultum iri existimamus, nisi ad veriorem ejus imaginem describendam, eam obiter attigerimus innocentiam, dignam prorsus infantis bimuli, et candorem animi simplicissimum; cujus profecto parem in pari laborum ordine anteactas aetates tulisse non legimus. Et nos quidem cum haec scribimus, et oculos volvimus ad plura scripta de Gomezii miraculis; antehabendum his omnibus judicamus innocentiae hujusmodi, et simplicitatis prodigium: vir enim iste cum tot lustra posuisset in animorum negotiis, in quibus pertractandis intima humanorum ex omni sexu, et ordine arcana ignorare non potuit; nihil tamen callide, nihil versute, nihil subtiliter unquam egit; nec, auditis in sacro foro tot criminibus, animum ullo modo inquinavit; nec, alias intellectis mortalium fallaciis, doli technas in humana consuetudine adhibuit; nec saltem didicit artem quamdam sine crimine dissimulandi, et sua sensa opportuno tempore celandi. Quidquid unquam de rebus ejus, etiam de absconditis animi motibus, ab eo percontareris; nihil gravabatur ille simplicissime, ac penitus ut res erat, aperire: idque pari faciebat animo, sive de suis virtutibus, religionibus, macerationibus, ostentis ageretur; sive de rebus aliis, quae dedecori sibi possent quoquomodo imputari. Nihil enim honestum, laudabile, admirandum in se posse contingere arbitrabatur, cujus ad se rediret

ret gloria; sed quasi ingenitum habebat, et menti altissime insederat, omnia, quae bona sunt hominis, ad Deum esse referenda. Et sane credimus, non magnis illi fuisse conatibus insignem animi demissionem, qua semper inprimis enituit; et nullo labore ab se repulisse humanae gloriolae titillationem, siquando haec ejus animum turbare tentaverit. Cum Mexicanum grammaticorum Seminarium Praefectus administraret, doctrinae suae periculum ad Theologiae Magistros fecit; quod erat de more ad obtinendum in Societate gradum, quem Professionem quatuor votorum vocabulo domestico Socii nuncupabant. Et in salsissimis rebus narrabatur, ante periculum dixisse alumnis Gomezium: *Signum accipite, si ad vos ante prandium rediero, non ex animi sententia; si vero post prandium, rem bene contigisse*. Male accidit illi periculum; intellexit, atro calculo se notatum; in Seminarium rediit admodum laetus; aperte enuntiavit, se ad eos, qui vocabantur spirituales Adjutores, rejectum; atque in laetitiae significationem pueris permisit, horam ab studio feriari. Hunc autem eumdem virum, qui tunc aetate viridi, dedecus illud plausu excepisse videbatur; in fletus erumpere, rubore suffundi, atque indignum se vocare, septuagenarium conspeximus; cum ob eximiam operam in bono animorum procurando, atque in honorem supereminentis virtutis, trium votorum solemni Professione, quod erat extraordinarium privilegium, ab summo Sociorum Magistratu donatus est.

est. Emeritae, cum ab eo consilium requireretur de re quavis difficiliori, mirabili sinceritate ajebat: *Equidem non tanti sum, qui hac de re tibi respondeam; sum enim indoctus, et illiteratus*. Et haec dicens, ad Theologiae Magistros interrogantem deducebat. Nec semel ab Sociis haec audivit: *Quid ergo? Num Sacrarum excursionum tempore semper in manu habes Theologiae Doctorem, ad quem negotia remittas, quae tot, ac perardua definiri a te necesse est?* Ille vero nulla tergiversatione reponebat: *Illo quidem tempore, cum nullum me doctiorem prope habeam, nihil dubito, Dei curae fore, ut mea consilia per viam rectam interrogantes deducant; hic autem rudis ego, et infimo loco sub vobis omnibus, pronuntiare de iis non audeo, quae vestra provincia sunt*. Atque ut haec animi demissio, ita caeterae ipsius virtutes candorem quemdam, puerorum innocentiae simillimum, et simplicem bonitatem redolebant. Quae nativa bonitas, ut non semper prudentiae legibus tenebatur, quandoque Gomezium impulit ad pia quidem ab recto ejus animo, neutiquam vero imitanda facinora. Audivit Emeritae, in quadam domo actum ire nocte scenicam fabulam, quae posita domus erat in via, qua mane transierat Numen Eucharisticum. Quod cum simplicissima Gomezii pietas omnino absurdum judicaret, Pontificem convenit, ut ipsius lege caveretur, ne tale quippiam liceret. Respondit Pontifex, id in arbitrio esse Regii Praefecti. Et cum hic Praefectus humanissimis verbis petitioni resisteret,

palam

palam Gometius: *Quandoquidem*, ait, *rem nequis prohibere; mox ego in meam solitudinem recedam, et corpus meum tercenties flagellabo*. Quae viri simplicitas, tametsi humanae prudentiae non admodum accepta, videtur tamen caelo rata fuisse: nam praedicta domus ea nocte ante destinatum fabulae tempus conflagravit. Bononiae, bacchanalium tempore, imprudens quidam ardor objurgandi licentiam, saepius illum intrusit in ea, quae sui juris non erant. Personato cuidam per eos dies obviam factus: *Quin*, ait, *christianae legis explanationem auditurus contendis?* Alium per viam invenit, mane diluculo in templum de more festinans; et repente ad illum conversus: *Memento*, inquit, *te morti obnoxium esse*. Cui personatus ille: *Quasi vero id, o stulte senex, ignorarem*. Plura id generis in se dicta inaudivit, nihil unquam deficiens a demisso vultu, et religiosa tranquillitate; quorum haec pauca memorare operae pretium duximus, ne in verissima ejus imagine desiderentur et incredibilis ardor in juvandis omni conatu animabus; et simplicissima bonitas, qua credebat, innoxie cuncta sibi licere in vitiorum insectationem, qua juvare Christianos bona fide arbitrabatur. Sed quanquam fervore plenus in haec tenderet, non contumaciter in iisdem persistebat: nam ab alio quopiam si admoneretur, erratum suum plane fateri, atque a facto desistere nihil dubitabat.

Inopiam voluntariam impense colere, humanaque omnia obfirmate contemnere, semper ha-

habuit in amoribus. In rebus, quae modicam suam supellectilem faciebant, semper abhorruit a pretiosis. Pro cultu autem corporis plane incuriosus erat: sive attritis esset, sive laceris vestibus, nunquam alias postulabat; sive novae, sive usu consumptae, sive pannosae, sive pretiosae darentur, pari vultu excipiebat; omnino instar simulacri, quod vel rusticanis, vel regiis ornamentis vestire poteris nullo conquestionis, aut elationis periculo. Emeritensis Pontifex quadam die leniter objurgavit Gomezium de tunica, quam laceram afferebat; sed cum intelligeret, aliam sibi non dari, quoniam tum potissimum erat Sociorum Collegium in re modica; illi e vestigio sericam dono immisit. Nec Gomezius cunctatus est; atque in serico apparens, audiensque familiares, qui secum ridebant, et lepide jocabantur de transformatione pauperis in maxime cultum, et elegantem: *Imo quia sum pauper*, ajebat, *haec mihi modo contigit elegantia: dona non respuo*. Sed hoc certe donum respuere non ausus est, quia verebatur donantis auctoritatem; caetera enim obstinatissimus erat in pluribus recusandis, quae sibi sponte offerebantur. Praedives quidam Mexicanus fere pertinaciter cum illo contendit, ut tesseram nummariam acciperet in auxilium Matris, cujus res erant inopes in patria; Gomezius autem obfirmate negavit munus excipere, palam testatus: *Equidem haud immigravi ad Novohispanos, ut mihi, aut meis pecuniam, sed ut animas Deo lucrifacerem; quin imo mea Mater, qua est reli-*

gio-

gione, attonita obstupesceret, atque indignata intelligeret, sibi a me pecunias immitti. Haud absimilem animi temperantiam patefecit in sacris excursionibus: quo toto tempore ut sudoribus immensis in bonum animorum, amabili simplicitate, suavique affabilitate benevolentiam omnium sibi comparabat; assidua veniebant ad eum munera, et pecuniae repraesentabantur, praesertim a Sacrorum Ministris, qui modis omnibus tentabant gratum animum Gomezio significare. Ille autem nec obolum unquam a certatim donantibus accepisse auditus est. Ab iis etiam, quos audiebat pro sacris confessionibus, nunquam passus est, vel minimum sibi donari: ut sunt enim illae gentes indole apprime munifica, donorum copia solebat iis profundi, qui ministeriis in salutem animorum vacabant; Gomezius vero, ut primum veniebat, qui suam ipsi conscientiam traderet gubernandam, aperte pronuntiabat: *Nihil mihi jucundius, quam tibi, et pluribus in re conscientiae, quantum suffecerint vires, opitulari; sed abire potes ab hoc meo subsellio, si animus tibi est, gratum te vel semel demonstrare munusculis*. Quo tempore Socii jussi sunt a Jucatanis decedere, ut ut Gomezium instarent, ac pene opprimerent precibus viri benefici, ne obstinaret animo, ipsorum largitates recusare; id ille apud omnes insigni temperantia ingeminabat: *Nec assem attuli, veniens ad Mexicanos; nullo etiam onustus asse volo ad Hispanos reduci*. Quod siquando alienam in se beneficentiam declinare non potuit, quoniam donum

num non esset sibi uni, sed Sociis omnibus destinatum; antequam ascenderet navim, quidquid pecuniarum sibi contigerat, in usus misericordiae convertit. Nummorum Bononiensium pretium, quanquam totos quindecim annos Bononiae commoratus, omnino ignoravit; nec inter assem, et aureum, nisi a materia, discernebat: quare instar pueruli accipiebat separatos obolos, quos pauperibus largiretur; et quoties papyraceas imagines, aut quid simile coemere pergebat, plane docendus erat, ne pro re parvi pretii crumenam totam effunderet.

Castimoniae sacramento obligatus, numerabat hanc virtutem inter Deo charissimas; eamque in suo corpore, atque animo semper floridam, odoram, et limpidissimam custodivit. Lubricis voluptatibus apertissimum bellum indixit, in quas non cessabat e suggesto invehere; idque tanto impetu, et inflammata efficacia, ut facile dignosceres, quanto prosequeretur odio, quidquid ejus criminis naturam redolet. Vehementer concitatus dicebat ad populum in foeminarum licentiam, quae se se parum honeste ornantes, hujus generis incendium exsuscitant. Quanti autem fuerint ab hoc saepius inculcato proposito fructus; palam faciebant, fremente malo genio, mulieres a turpi quaestu revocatae, innumeraeque utriusque sexus ad castigatam vitam conversiones. Abhorruit inprimis ab instituendo colloquio cum foeminis, nisi ageretur de ipsarum regenda conscientia; et tum oculos ad alia omnia, quam ad earum vultum, conjicie-

jiciebat. Interrogatus Emeritae a primae dignitatis Canonico, cur Matronam quamdam ex urbanitatis officio conveniens, vix ingressus, commeatum petierit? *Quia plane ignoro*, respondit, *quos apud hunc sexum sermones exagitem. Quid enim est foemina? Mihi quidem instar herbae inutilis, et insulsae.* Nobilis quidam Bononiensis cum illum percontaretur; cur italicam linguam non condisceret? Aperte dicentem audiit: *Hunc habeo fructum a vestri sermonis ignoratione, quod locus mihi non est foeminas alloquendi.* Nec vero inermis erat in hoc pudicitiae studio tuendo, et totis conatibus custodiendo: nam corpus, quod assiduis flagris, et stimulis ferreis perpetuo maceravisse demonstravimus; incredibiliter etiam attenuavit inedia voluntaria. Intellectum est olim a quodam Sacrorum Ministro, apud quem in sacris excursionibus totum mensem commoratus est, ea tempestate oleribus duntaxat victitasse. Ad tria lustra, quae Bononiae peregrino postrema vitae fuere, nunquam bubulam gustavit; sed fere pane solum, et leguminibus vitam exegit. Fuisse autem incredibiliter sobrium, et victum ejus quotidianum raro tres uncias, quatuor nunquam excedere, unanimi plurium testimonio affirmatum comperimus. Nihil propterea miramur, quod vir optimae fidei, qui ad annos triginta circiter ei fuerat in familiaribus, palam asseveraverit, nullo unquam tempore Gomezium indicia dedisse, minus gratum sibi esse cibum appositum. Nec erat minori navitate in motibus animi frangendis, quam in corpore maceran-

ran-

rando. Subiratum in familiari consuetudine Gomezium, nemo est, qui conspexerit: nam eximiam patientiam, atque innatam mansuetudinem habebat perpetuas vitae comites, quae in subitis quibuslibet ad sedatissima verba cohortabantur. Bononiae diu contigit ei cubiculum multis nominibus incommodum: nam et fumo totum replebatur, a culina non procul ibi posita; et luci Solis quamdifficilem praestabat aditum, a fenestrae velamentis ipso fumo denigratis; et facile patebat turbis a perstrepente vicinia; et a fimeto proximo, magna muscarum, et culicum copia infestabatur. Ille autem nec unquam tot incommoda conquestus est, nec ab animi pace descivit, nec ridentem vultum deposuit. Alienae voluntati subjici, a tenero didicit; nec ad summos canos obedire intermisit. Obtemperavit in pueritia, et adolescentia Parentibus; a quorum nutu, nedum imperio, deficere, nefas omnino existimabat. Audierant quidam, juvenem Gomezium eminere dexteritate in pilae lusu, rogabantque, ut feriato tempore vellet ludere; negavit tamen ille, nisi ab suo Patre facultas obtineretur. Postmodum obstrictus votis in Societate, adhaesit inprimis huic virtuti, nec aliam jam novit operandi normam, nisi quae ab Superioris voce descenderet. Quisquis esset Sociorum, in quo vel umbram Magistratus Gomezius conspiceret, demississimas obsequii significationes illi tribuebat. Eadem erat obedientia, cum aegrotabat, in valetudinis ministros, et potissimum in Medicos; quorum quidem prae-

scri-

scriptionibus nulla tergiversatione obtemperandum arbitrabatur. Cum cessare Societatis Magistratus Pontificia lege jussum est; Gomezius fratris natu minoris arbitrio vivere constituit: cui fratri cum rei domesticae curam commisisset, nihil domi agere, nihil postulare, nihil propriae voluntati ausus est unquam indulgere. Ab adversa valetudine, a nimis devexa aetate, a tot annorum commoratione in calidissima Jucatania, perquamaspera illi accidebant coeli Bononiensis frigora; nihilo tamen secius, caminum accendi, nunquam flagitabat, ne fratris voluntati resistere videretur.

Cogitantem, loquentem, operantem Gomezium Sacra Fides, tanquam prima vis agens, gubernabat: cujus virtutis magnitudine, quae satis est de loco *Montes tollere*, nihil sane demiramur, facile caelum flectere potuisse ad miracula. Rogatus Bononiae, rabidi tauri prodigium a nobis demonstratum narrabat, cum dicentem intercepit quidam, et juvenili alacritate percontatus est, num taurus a cursu destiterit? Et Gomezius admiratione defixus, quasi esset illa interrogatio ab animo parum Christiano: *Et potuisset*, ait, *non desistere, cum Jesu Christi nomine imperaverim?* Mirandum erat spectaculum, et simul ejus Fidei documentum, Gomezium conspicere ad aras facientem eximia religione, ac postmodum in eodem templo ad multas horas immotum, genibus flexum, aperto semper capite, quin hiemis rigores a perpetua calvitie formidaret. Sacrum celebrare nunquam

omi-

omisit, nisi vel esset gravissima oppressus valetudine, vel in calamitosa navigatione penitus deesset opportunitas. Caetera quidem in Italia iter egit ad duodetriginta fere milliaria jejunus, ne careret Divinis voluptatibus, quibus in sacra victima immolanda fruebatur. Mariam Virginem mille modis colebat, impensissime, ac tenerrima pietate venerabatur; ejusque laudes tum in privatis colloquiis, tum publice dicens, praedicare, atque universos animos ad ipsius amorem inflammare, maxime habebat in votis. Demonstravimus hominis conatum, et strenuitatem in Mariano cultu propagando, ubi ubi attingeret pro sacris concionibus. In hujus autem cultus propagatione duas explicabat Divinas virtutes, Fidem, et Fiduciam: nam qui Fide credens, Deiparam esse, tantus erat in Marianis religionibus promovendis; magnanimum se gerebat in profundendis pecuniis, ut cultum ejusdem Virginis excitaret, certissime sperans, nihil sibi defuturum, quoties aliquid eo nomine aggrederetur. Et sane arcanum erat nemini pervium, unde tot sumptus faceret vir ille, ab rerum humanarum amore penitus alienus, et qui pecunias pro suis usibus nihili aestimabat. Arae, quas in Matris Luminis honorem excitavit, duodeviginti numerabantur in Jucatanis; et quae in Sociorum Collegio ad Emeritenses, ejus industria, et nummis fuit erecta, pulcherrima quidem erat, affabreque argento elaborata. Constituit census, quibus ad hanc aram novendialia, et dies festus Matris Luminis magna

cele-

celebritate quotannis recolerentur. Aram alteram condidit, quam Divo Cyro dicavit; annuisque similiter censibus diei Divo sacri solemnia sancivit. Bononiae perpetua fuit largitate in distribuendis Matris Luminis imaginibus; et nullum est in hac urbe Virginum gynaeceum, in quo non disseminaret parvulos codices novendialium ejusdem Matris precationum. Quidquid Deum oraret, ea erat Fiducia, ut tantummodo dubitaret de secundo precum suarum exitu, si res minime expediret. Omnino persuasum habebat, a Deo se cura maxima custodiri; et audiebatur interdum suavissima cum voluptate ingeminare: *Quantum amor a Numine!* Ac certe amanti Deo vicem reddebat, quantum misera potest humanitas; ejusque amoris flamma dulcissime liquefiebat. Habemus apud nos autographum viri probi, qui cum plures annos ejus conscientiae fuisset arbiter, postea testabatur, Gomezium moribus fuisse admodum castigatis, eaque levia errata, nec prorsus voluntaria, quae sunt hominis, vel justissimi, dolore ingenti deflevisse, saepiusque in suismet arcanis enarrandis ad ipsum dixisse: *Malle se detrudi ad stygias furias, quam levi in Deum noxa maculari*. Et loquebatur de minimis illis erratis, in quibus Deus misericors facile connivet; gravis enim criminis conscientia nunquam omnino turbabatur. Aequa semper hilaritate, sive prospera, sive adversa contingerent, Dei voluntatem, a quo cuncta procedunt, adorabat. In afflicta valetudine unam sui cum Numine con-

 jun-

junctionem ardebat, et vitam claudere cum Christo cruci affixus desiderabat. Dei Hominis cruciatus assidue meditabatur; idque potissimum his meditationibus cupiebat evincere, ut se se ad ipsius patientiam in doloribus conformaret. Hoc Divina meditandi studium fuit semper illi charissimum; et matutinam horam, de more Sociorum huic religioni destinatam, nunquam aut omisit, aut indiligenter implevit. Quod nocte legerat argumentum pro insequentis diei commentatione, ita tenaciter menti haerebat; ut quoties e somno excitaretur, illud confestim in memoriam rediret. Nullus fuit unquam occupationum aestus, qui Gomezium impediret, quominus totos octo dies ante Xaverii solemnia in cubiculi solitudinem quotannis recederet; ibique largissime, atque ingenti cum voluptate Divinis meditandis intenderet.

Homines amabat tum natura, quia sui similes; tum religione, quia creatos ad Numinis imaginem, atque ut ejusdem Numinis conspectu aeternum bearentur. Hanc beatam aeternitatem ut universi obtinerent, satis demonstravimus, quanta opera insudaverit. Sed quod plane mirandum, aequa facilitate ad omnes erat, nullo prorsus discrimine inter divites, et mendicos, inter urbis primarios, et vilissima ex faece homines. Quae fere sex lustra commoratus est in Emeritensibus, nihil interruptam praestitit operam Sanctimonialium coenobio, sive animum expiare vellent sacra poenitentia, sive consilium afflictae, aut dubiae requirerent, sive dato

tem-

tempore convenirent caelestium commentationibus excolendae. Nihil absimili navitate subveniebat custodiis, ad quos eadem obibat munia, suavibus verbis recreandi, patienter erudiendi, fervidissime concionandi, et pro confessionibus aures praestandi. Quod siquis ad patibulum duceretur, praesto erat Gomezius in auxilium; quam misericordiam veluti debitum sibi munus ita vendicavit, ut acciderit olim, quatuor duntaxat mensium intervallo, viginti quatuor ejusmodi damnatos confirmasse in fatali triduo Gomezium, atque ad supplicium comitem se individuum illis praestitisse; et hinc vulgari nomine Pater necatorum suspendio appellabatur. Cum lecto affixis, et moribundis ea erat charitate (quam supra memoravimus illi praecipuam) ut nudum super asserem plures continenter noctes cubare voluerit, easque indutus transegerit; ne non e vestigio accurreret, si forte in auxilium vocaretur. Nec ipsis auxilii erat in rebus tantummodo, quae sunt animi; sed vilissima quaeque ministeria, tanquam famulus mercede conductus, in eorum obsequium minime recusabat. In sublevanda pauperum inopia, quanquam inops ipse, mitissimum ingenium, et ad commiserationem oppido proclive demonstravit: omnino enim ad Divi Leonis consilium, impendebat virtuti, quod subtrahebat voluptati, et fiebat pauperum refectio, Gomezii jejunantis abstinentia. Bononiae diuturno tempore miseram orbam aluit, ipsi magna ex parte reponens fercula, quae sua erant rata portio. Po-

stremis vitae annis fratre usus contubernali, non solum ex dapibus, quae sibi apponebantur, sed etiam panem recondebat distribuendum pauperibus: quibus et subuculas, aliaque suis usibus maxime necessaria cum clanculum largiretur; a fratre admonebatur, desiderari prudentiam, cum et ipsi essent in pauperum numero, nec haberent rei lineariae copiam, praesertim si aegritudo contingeret. Cui Gomezius: *Nunc certe*, ajebat, *sunt nobis pauperiores, quibus judico subveniendum; quod si tibi, aut mihi superveniat infirmitas, ad indigentiae mensuram stipem corrogabimus*. Cuidam Virginum gynaeceo, cujus res familiaris in angustia maxima ferebatur, modicum ex sua tenuitate donum pro singulis mensibus destinavit; nec fidem unquam non praestitit, tametsi et ipse interdum non mediocriter indigeret. Litteras accepit ab Sanctimoniali quadam, illacrimante miseriae Matris, cui penitus nummi deerant, ut ignem domi excitaret ad propulsanda frigora: et tum quidem tres duntaxat unciales argenteos habebat Gomezius; totidem vero immisit, ut afflicta Virgo Matris indigentiae subveniret. Eodem autem die cum arcam suam casu aperiret, tres alios reperit unciales argenteos, quos habere se ignorabat, et fortasse misericors aliquis clam intulerat. Et tum: *Ecce*, ajebat, *suavissimam Dei providentiam, a qua nunquam non est praemium charitati!* Pecuniam, dari solitam ad aras facientibus, interdum recusabat, etiam post eversam Societatem; quoniam caelestem hostiam gratis offerre

saepe

saepe malebat, tanquam salutarem stipem animabus, quae lustralibus flammis purgantur. Solebat autem accipere praedictam pecuniam, e vestigio donandam alicui populari, quem indigere intelligeret. Saepius domo cernebatur egredi, frustis panis onustus, quae tum in sinu, tum in crumenis deferebat; ut, quando nummos non haberet, quodammodo satisfaceret votis plura largiendi, et nullum ab se vacuum dimittendi. Profecto videbatur, tota die rationem excogitare, qua sui similium et animo, et corpori posset afferre utilitatem.

Erat Franciscus Xaverius Gomezius mediocri statura; calvitie ultra dimidium capitis; alacribus, et mire scintillantibus oculis; naso paululum adunco, signatoque ad latus dexterum nigra lentigine; colore aquilo; vultu dignitatem praeseferens, et qui solo aspectu venerationem sibi conciliabat. Vir plane mirabilis, atque omnino factus ad egregia facinora!

MARTINUS MONTEJANUS.

HOnesto genere Parentibus, tertio Idus Novembres, anno 1709 natus est Martinus Maria Montejanus, vir exploratae, atque integerrimae probitatis, quam incredibilis morum aequabilitas ad extremos canos protracta, et in sepulchrum illata, commendavit. Cangas, oppidum satis cognitum in Callaicis, patriam habuit; quod oppidum Pontifici subest Compostellano. Prorsus ignoramus ut Martini Parentum nomina, sic ejusdem pueritiam: nam de se, suisque rebus, quae in laudem essent, erat ille silentii tenacissimi; et longissime ab locis absumus, unde haec ex Tabulariis haberi possent: ac certe ignoraremus, natales ejus honestos fuisse, quanquam in re non divite; nisi ex inopinato sermone Mexicani cujusdam cum Callaico viro, atque eo nato Cangis, id olim Ferrariae constitisset; qui Cangensis primaria probitate, ac prudentia Sacerdos erat, ex eo recenti Sodalitio, quod a Poenitentia Ferrarienses appellant. Laudabilem vero fuisse Martini pueritiam idcirco argumentamur, quoniam adolescentiam, aetatem maturam, et senectam non modo inculpatus exegit, verum etiam quibusdam instructus virtutibus, quae fere non nascuntur, nisi ubi christiana sit, et civilis admodum institutio. Comperimus quidem,

dem, illum vix puberem Gades immissum fuisse, ut apud cognatum quemdam litteris elementariis, et calculo imbueretur: quibus in rebus eam mentis facilitatem, et manus elegantiam patefecit Martinus, quae postmodum effecere virum his in laudibus vix ulli secundum. Et hic fundamenta jecit ad artem mercaturae, non illam, quae negotiatione minutarum rerum sordida est, atque abjecta; sed splendidiorem alteram, in quam ex nobili coetu viri apud nationes multas, et certe Gadibus, incumbere non gravantur. Ad hanc porro Montejanus videbatur natus, et nullis non dotibus vel ingenii, vel industriae, vel animi, vel corporis insignitus.

Aetate jam grandiusculus, et plurimis ornatus luminibus ad negotia procuranda, in Mexicanum regnum immigravit, et statim Angelopoli consedit, quae civitas est amplissima, non modice florens commerciis, et post Mexicum primi nominis, ac dignitatis in Novohispanis. Erat tum temporis in Angelopolitanis Ignatius Egurenus, equestris ordinis Hispanus, et opulenter negotiosus; cujus bona fortuna in domum introtulit Montejanum, primo quidem ut hospitem, et officinae institorem; deinde vero ut praecipuum negotiorum ingentium administrum, et totius rei domesticae quasi arbitrum, atque unum gubernatorem. Perardua sane provincia Juveni aetate florido, nec in patrio solo commoranti! Erat enim Egureni commercium nullis fere circumscriptum limitibus;

et tota die videres ad opulentum hominem venire negotiatores, mulorum agmen ducentes ab remotissimis oppidis, qui ex omni genere merces vel importarent vendendas, vel sumerent alio deferendas. Montejanus autem ingenti mentis capacitate praesto erat omnibus, et vultu, quasi nihil ageret, mirifice ad serenitatem composito, nulla non negotia facilis extricabat. Et sane quo toto tempore negotiis hic praefuit, splendorem suum Egurenus magnis quotidie incrementis perpetuavit: is enim, cui semel res fuerat cum administro tantae rectitudinis, et tam sincerae probitatis; ut illum ubilibet praedicabat, ita et novae negotiationis instituendae gratia lubentissime ad ipsum redibat.

Nullam in adolescente administro desiderares virtutem ex iis, quae constituunt hominem bona fide, atque honestum, et in eo statu numeris omnibus absolutum: eminebat enim compositis moribus, urbana hilaritate, ingenio singulari, maturo judicio; a quibus erat affabilis ad se venientibus, fidelis in pactionibus, in vultu opportune gravis, ad officia Christiani promptissimus, Numinis reverentissimus. Nec vero contempsit ornamenta illa, et civiles elegantias, quae juvenem ingenuum pro sua tum conditione non dedecere arbitrabatnr; qualia sunt saltare ad numerum, et pulsare fidiculas: quarum artium peritissimum fuisse Montejanum, accepimus olim a viro probo, et veracissimo, qui casu habuit illum ea tempestate contubernalem. Is idem, qui diuturna, et intima consue-

suetudine Montejanum per eos dies observavit; atque ejus quotidianam vitam, et mores attente rimatus est, aperte ad nos testabatur: *Adolescentem illum in mundana licentia, et periculis constitutum, nunquam sermonem vel ultro conseruisse, vel ab aliis propositum admisisse de foeminis, aut earum illecebris, nec omnino ab ejus ore prodiisse verbum, quod vel remotissime pudorem offenderet*. Id enim vero non sine admiratione potuimus audire, cum narraretur de juvene, caelibe, robusto, pecunioso, forma decoro, et moribus eleganti.

Nihil propterea mirum, quod mundi periculis deterritus, in securius asylum confugeret, ac perfectionis viam cogitaret arripere, nuntio dato rebus humanis, et quibus affluebat divitiis: mentem enim ad omnia mortalia volvebat; ad mundi oblectamenta, quae suum statum consequebantur; ad humanas amicitias, quarum copia sibi erat in amplissimis rebus; ad plura, quae bene parta possidebat; ad majora, quae pollicebatur arridens fortuna; sed cum omnia perpenderet pauxilla, et caduca, et modice duratura, nullibi poterat excelsus ejus animus optatam requiem invenire. Facile quidem valuisset, nubilem Egurenam, Ignatii filiam, sibi sponsam adipisci: nam hic Ignatius et Martini generis honestatem sine dubio non ignorabat; et ipsius animi singulares virtutes, et amabiles corporis dotes, et eximiam in agendis negotiis dexteritatem apprime magnifaciebat. Sed non exsatiabatur humanis ejusmodi gloriolis, Monteja-

tejani desideriorum magnitudo; et ad splendorem alterius ordinis in religiosa tenuitate a Numine invitabatur. Ergo fortunis omnibus, quas industria sua comparaverat, christiane mancipatis, propositum, quod diu foverat, Societatis amplectendae patefacit; et Mathaeum Ansaldum, Provinciae Mexicanae tum Antistitem, enixe rogat, ut se velit adscribere in humilem Adjutorum conditionem, qui domesticis obsequiis navet operam. Et Ansaldo quidem jucundissimum cum accideret, quod notae probitatis, et famae vir ad Socios adlegi postularet; ad prudentiae leges tentavit candidati constantiam, et tandem votis ejus annuendum existimavit.

Montejanus ergo postridie Idus Apriles, anno saeculi decimi octavi quadragesimo secundo, aetatis ejus vertente trigesimo tertio, Tepotzotlanum maxima cum voluptate proficiscitur, ut tirocinium iniret. Sed haec ejus ad Socios tirones initia plane fuere digna perfecti viri, et plures jam annos emeriti: nec enim aliis monitis opus habuit, nisi quae attinebant ad domesticam disciplinam, cui nondum assueverat, sed quam brevi didicit, ac tenacissime retinuit. Caetera vero jam ab illis exordiis excellebat, ut aetate, sic etiam oculorum modestia, aequabili affabilitate, gravi dignitate, atque omnigena religione. Ac certe hominem acutae mentis, et rectissimi judicii neutiquam latuit, animi demissionem habendam esse normam, et quasi basim religiosi aedificii, pro iis

prae-

praesertim, qui ad humilem Adjutorum gradum vocati sunt. Haec proinde virtus altissimas egit radices in tirone Montejano, qui et omnino silebat de anteacta sua fortuna, et observantia modeste submissa in omnes erat, et se praestabat oppido libenter vilissimis ministeriis. In iis autem exercendis omnino videbatur gravitate compositus, et animo in Deum intentus, cui placere quaerebat per ea servilia, nihil jucunda sensibus; quin imo pecuniosis viris, qualis ipse fuerat, odio habita, et prorsus despecta. Sacris meditationibus vacabat reverenti, et modestissima positura, ut etiam inviolato silentio; quod tum erat spectaculum tironibus admirandum, tum certe indicium animi ab humanis omnibus remoti, et unum Deum cogitantis. Per id temporis, ex consilio Genovesii, et Bellidi (quos viros, in Mexicana Societate clarissimos, ab scientia praesertim gubernandi animos, habuit conscientiae arbitros, et vitae religiosae Magistros) complures precationes, et ferventissima pietatis monita in parvis codicibus exscripsit; qui codices illi fuere, dum vixit, individui comites; et quorum usu mirifice delectatus, ad sui gradus perfectionem, et virtutum omnium excellentiam semet alacriter exstimulabat. Id vero mirum praecipue, quod ea fuerit constantia in illis moribus, quos in tirocinio instituit, ut, quanquam innumeris postmodum occupationibus, et negotiorum strepitu vixerit, ut semper alius ex alio laborem labor exciperet; nunquam tamen ab se defecerit, sed

iisdem

iisdem moribus consenuerit, eosdemque intulerit in sepulchrum. Profecto Genovesius, et Bellidus, ut erant perspicaci hominum cognitione, satis odorati sunt, ac palam ambo asseverarunt, eximiae magnitudinis animum esse Montejani, atque in illo tironem informari, qui sine dubio foret aliquando tum Adjutoribus exemplar, tum omnibus admiratio, tum vero domesticae procurationi maximum adjumentum. Et plane innotuit haec opinio, quam de illo conceperant Societatis Magistratus, cum ipsum adhuc tironem designarunt, qui rem domesticam sub Collegii Procuratore administraret: nec enim ante absolutum probationis biennium ab arctissimae vitae disciplina illum avellerent, nisi maximopere confiderent ejusdem virtutibus, quibus nulla certe immineret in collato munere jactura.

Confecto autem biennio, tria simplicia Societatis vota incredili voluptate Martinus professus est, plus admodum gaudio delibutus in novae conditionis tenuitate, quam in mundanis olim oblectamentis, et rerum omnium abundantia. Nec ancipites fuere Majores in officio, cui destinarent Montejanum: quoniam nemo erat unus, qui dubitaret, consultum iri Collegii emolumento, cujus rebus procurandis praeficeretur ille, qui et domesticis virtutibus excellebat, et tot annorum experientia strenuam probarat industriam, et certissimam peritiam in amplissimis Egureni negotiis tractandis, et censibus adaugendis. Quare immittitur Mexicum, ad rem familiarem cum Procuratore administrandam

dam

dam in Divorum Petri, et Pauli Collegio, quod vocabulo domestico ab Sociorum multitudine Maximum dicebatur: horum enim capita ultra nonaginta, quandoque ad centum numerabat. Et hoc in munere, partim sub Procuratore, partim Procurator ipse, totos fere triginta posuit annos, quos duravit adhuc Mexicana Societas. Erat illa procuratio sane quamdifficilis, et quae diligentissimum, patientissimum, et actuosissimum quemque vexaret, ac delassaret; tum ob ingentem negotiorum copiam, a quibus illa officina nullo unquam tempore cessabat; tum ob res, intricatas, et maximi momenti rationes; tum etiam ob non intermissas cum domesticis congressiones, praesertim cum adolescentibus, qui supra quinquaginta eo loci numerabantur; et quorum ingeniis, ut fere illa aetas inconsulta est, haud facile posses obsequi. Montejanus autem ut ut premeretur negotiorum cumulo, praesto erat Sociis omnibus ad se venientibus; et lubentissime se praestabat eorum petitionibus, a quibus nullum esse inopiae religiosae detrimentum existimaret; sin aliter, palam negabat, se posse postulatum concedere: nam in hujus virtutis cultu fuit semper praecipua, et constantissima religione. At vero, ut historiae fidem incorrupte sequimur, inficiari non possumus, fuisse interdum Montejanum inconcinnitate quadam in iis, qui ad se venirent, excipiendis, vel Sociis, vel cujuslibet auctoritatis externis; et de pristina illa sermonis elegantia, et morum urbanitate nonnihil amisisse;

sive

sive id esset comparatum vitium ab aetate in senium tendente, sive a jampridem affecta valetudine, sive a perperam intellecta pietatis natura: sunt enim, qui sinceram pietatem, et rerum humanarum despicientiam male confundunt cum quodam hominum quasi contemptu, et verborum inelegantia. Sed quidquid fuerit, liquidum habemus, id fuisse vitium ex illis, quae cadere possunt in viros apprime religiosos; caetera enim ea fuit iste vir animi valetudine, quam explicabat Tullius, cum sanitatem animorum positam in tranquillitate quadam, constantiaque, ajebat in libro tertio Tusculanarum. Nihil tranquillius Montejano, nihil constantius: nullus fuit, qui audierit hunc hominem intemperantibus uti verbis, aut a christiana dejici patientia conspexerit; tametsi pluries impeteretur aliena inconsiderantia, nec semel sannis, et injuriis: tunc enim aut silebat omnino, aut sedato mirabiliter animo respondebat. Apud externos verbis erat admodum parcus, iisque vel de negotiis ex munere, vel ex charitate animorum de coelestibus quaerendis, et fluxis hujus mundi, quae tanto ardore mortales captant, despiciendis. Quidquid aliarum rerum est, in quibus enarrandis, otiose ut minimum tempus conteritur; ab ejus ore, ac fere notitia penitus exularant. Nunquam ab eo defecerunt religiosa dignitas, gravis integritas, fidelis veritas; et in coemendo, aut vendendo, aut aliis id generis pactionibus, quas plures inire tenebatur in officii administratione, perpetuo comitem,

et

et primam agendi normam habebat justitiam A quibus eximiis virtutibus per universam civitatem Montejani probitatis fama pervulgata est, ac mirifica in ipsum observantia inolevit. Assiduos ejus labores, atque operosas elucubrationes haud facile credent, nisi qui testes eramus oculati. Sive diu, sive noctu Procuratoris officinam intrares, Montejanum in opere invenires; nisi forte domo illum exire gravissima negotia compulissent. Ac sane immensos postulabat sudores, quod suis humeris onus portabat: ejus enim erat rem rusticam gubernare, ac rationes exigere a praediorum administris, quae plura, et ingentia, et longo inter se dissita intervallo, numerosissimi Collegii census magna ex parte constituebant. Ipse ad Templi expensas animum advertebat; quod certe non modici laboris erat: cum essent innumerae ibi loci religiones, et solemnia instituta. Ipse immiscere se debebat pro munere iis litibus, quae Collegio excitabantur. Ipse intendebat officiis misericordiae, constitutis diebus ea distribuens, quibus tum publice, tum secreto Collegium famelicos alebat, nudos vestiebat. Ipse interea totus esse videbatur in providendo victum, et cultum, et supellectilem tanto numero Sociorum; quod opus quantae molis fuerit, ii testentur, qui familiae cujuslibet rem domesticam administrant. Quasi vero haec levia fuissent, nihil formidabat aliorum Collegiorum negotia in se suscipere; quoties eorum Rectores, administrive auxilium ejus implorarent: sibi enim

legem

legem indixerat, quoad per vires liceret, operam ferre Sociis omnibus nullo personarum, aut Collegiorum discrimine. Quare dicendus est Martinus Montejanus universim beneficus Mexicanae Societati. Sed vitam adeo laboriosam consecuta est corporis aegritudo: coepit enim homo in maciem extremam devenire, immani tussi vexari, et febriculis quotidianis tentari; et hinc ab Superioribus, qui maximi faciebant ejus valetudinem, per dies aliquot cessare ab opere jubetur, et rusticatum immittitur. Et meminimus quidem, cum per id temporis, nobis tironibus, Tepotzotlanum Martinus attigit, requiem ab laboribus quaerens in illo altissimo silentio, et secessu a mundanis oblectamentis: quibus diebus et assiduus erat in sacello domestico, et destinato recreationi tempore saepius ad tirones veniebat, et mirifice delectabatur in colloquendo de coelestibus, et postremo valedicens novitiis, interitum sibi, ut credebat, impendentem serenissimo vultu memorabat. Sed bono Mexicanae Provinciae constituerat, qui vitae, ac mortis auctor unus est, plures adhuc annos in hac agere mortalitate Martinum; utique nunquam ad pristinam corporis valetudinem restitutum, ita vero firmum, et robustum animo, ut perinde ac florente valetudine, adhuc ad multa lustra indefessus adlaboraverit; et magnis ubilibet laudibus praedicata sit immensa mentis ejus capacitas.

In ipso autem aestu gravissimarum occupationum locum dabat pietatis rebus; et consue-

tis horis, quibus ad Divina Socii de more vocabantur, negotia quaelibet abrumpebat. Mane quotidie, tametsi valetudinarius, vix diluculo, e cubili surgebat; et continuo totam horam vacabat caelestium meditationibus: quo quidem tempore in id veniebat tranquillissimi silentii, ut aperte videretur, nullos esse turbidos motus, qui ab suavissimis voluptatibus, et conjunctione cum Numine cogitantem animum tentarent avellere. Hoc sane mirum in homine, quem innumera negotia nunquam non urgebant! Statim ab his meditationibus in Templo erat, ut rei Sacrae adesset, semper genibus flexus, oculorum modestia spectabilis, et toto corpore ad religionem compositus. Eadem genuum positura, et jucundo ab humanis recessu, ad inquirendum in sua dicta, facta, et cogitata, bis quotidie per horae quadrantem, animum advertebat: quod siquid, ut sumus mortales, in exercendo suo munere minus recte gessisse cognosceret, non eum pudebat, erratum fateri, et rem ad novae cognitionis normam instituere; quod et admiratione percellebat eorum animos, quibuscum agebat; et nullus non erat maximopere confisus bona Montejani fide in omnibus, quae sunt humanae consuetudinis. Nullum exegit diem, quin lectione de Divinis rebus animum ad pietatem exstimularet. Consuetudinem ter in hebdomade accedendi ad Sacram poenitentiam, et reficiendi se cibo Eucharistico, accepit in tirocinio, conservavit fidelissimus in occupationum agitationibus, nec

in extremis canis deposuit. Ab hac inviolata constantia in ejusmodi rebus, quae pietatis fervorem excitant, quasi in mores ejus abiit, Deum tota die, quidquid ageret, cogitare. Atque ita quidem nulla erant mundana negotia, ut ut gravissimam intentionem exigerent, quae Martini mentem a Numine amoverent, aut ejusdem vires animi dissiparent: nam nec se rebus agendis effuse tradebat, et quidquid vel modici temporis cessaret, tanquam receptui canebat, et fervidis, quanquam brevibus, precationibus, mentem in caelum erigebat: ut fere affirmari possit, ejusmodi negotia, quae Deo Martinus omnia referebat, nedum non impediisse, verum etiam adjuvisse, ut ejus animus in caelestium cogitationem raperetur. In iis autem sudoribus, quos innumeros demonstravimus, una sibi merces cordi erat, Dei voluntatem exequi, atque ipsi placere: cujus rei non leve argumentum est, quod in Sociis nulli prae altero faveret, sed omnes aequa charitatis mensura coleret; in externis vero nullius gratiam, aut amicitiam aucuparetur, quanquam ultro oblatas non inurbanus respuebat; nisi ex iis essent hominibus, qui se natos existimare videntur, ut in otii veterno pretiosum tempus consumant: apud hos enim aut post pauca verba in silentium deveniebat, aut sensim in colloquia de Divinis illabebatur. Omnino alienus erat ab rerum cupidine, quae sunt in mortalibus; nec earum ulli corde unquam adhaerescere visus est. Dona vero, quae vel ab amicis benevolentiae cau-

sa,

sa, vel ab aliis in animi grati signum ob exhibita officia, interdum illi praestabantur; ad egenorum subsidium convertere, semper habuit in charissimis. Atque hi nimirum census erant, quibus poterat quotannis plures convestire mulierculas, quae tantum non nudae, stipis accipiendae nomine, ad Collegii Maximi fores confluere solebant.

His intentum gravissimis occupationibus, et charitatis officiis, Regia lex adinvenit, qua Socii Mexicani solum vertere jubebantur: quem profecto nuntium ita tranquillo, et mirabiliter aequabili vultu excepit; ut nisi certo sciremus, neminem ullum in Sociis calamitatem praenovisse, procul dubio suspicaremur, nihil novum id accidisse Montejano. Sed nimirum eo virtutum agmine semper instructus incedebat, ut nihil pertimesceret humanos casus, nihil proinde, quidquid occurreret inopinatum, ab oris dignitate deficeret. Ac judicamus, quamcommode contigisse, quod Collegium illud, ab Sociorum numero primi nominis, haberet tum temporis Dionysium Perezium Ministrum, Martinum Montejanum Procuratorem, qui sincerissimam morum integritatem, et ingentem animi magnitudinem egregie per eos dies probavere Josepho Galvezio, qui Legatus ab Rege praeerat rei Jesuiticae in Mexicanis. Martinus ratione muneris, postquam omnes abiere Socii, Mexici permansit menses aliquot; ut qui rem domesticam tot annos procuraverat, censuum rationes, et caetera Collegii negotia Ministris

Regiis expromeret. Quo quidem tempore potissimum enituit ut singularis ejus animi probitas, ita et laudata mentis alacritas, et expedita facultas ad negotia: nihil enim aut honestius, aut promptius, aut apertius, aut sincerius, quam verba Montejani ad calculum appellati, et officinae suae codices explanantis, et census omnes ab anteactis aetatibus ad ea tempora numerantis, et intricata plurima enucleantis, et, quidquid rerum, ac pecuniarum erat, patefacientis. Id autem cum prolixius ageret, iteratis mane, ac vespere congressibus per menses aliquot; nulla unquam in eo comparuit animi aut moesti, aut turbati, aut quoquomodo aegri significatio: sed quasi duntaxat ageretur de Socio erudiendo, qui in officio succederet; nihil immutavit internam pacem, atque oris gravitatem; et sincerus effudit lumina, quae rerum usu, et tot annorum sudoribus comparaverat. Tam egregiae virtutes ita defixerunt admiratione Galvezii animum, ut plura illi pollicitus fuerit commoda, si vellet in rerum administratione pro Rege permanere. At Montejanus egregia temperantia gratias egit amplissimas, et se, dixit, properare ad senium, et consequi velle Socios calamitosos, quos olim secunda fortuna contubernales elegerat. Quare a Galvezio facta potestate, festinavit exire Mexico; et Veracruce vela solvens prope sexagenarius, post diuturnam navigationem, et aerumnas non modicas ab aetate, ac valetudine, Bononiae tandem in ditione Pontificia consedit. Atque eo jam tempore a Mexi-

canae

canae Provinciae tum Praeside maximopere desiderabatur vir tanta industria, et rerum experientia: nam recens conducta fuerat primo fere ab urbe milliari domus Herculanorum, in qua Mexicana pubes commoraretur; cujus domus concinnatio ad Sociorum mores, et disciplinam, negotium fuit praecipuum Perezii tum Ministri; oneris vero pars non modica contigit Montejano, designato ejusdem Procuratori. Causari potuisset apud Majores aetatem senectae jam proximam, anteactos labores, fractam valetudinem; quae satis utique fuissent, ut a magni ponderis officio excusaretur. Homo autem, cui semper fuerat in charis, nihil recusare, quod sibi fuisset ab Superioribus imperatum, cum maxime de praestandis ageretur officiis, quae in bonum Sociorum essent; obmutuit, obtemperavit, adlaboravit, et in perarduo munere incredibiliter alacris, dum superfuit Societas, extorres Mexicanos adjuvit. Et religiosissimi erat spectaculi, videre quotidie Montejanum, qui semper ad modestiam conformatus, et toto vultu pietatem respirans, ab Herculanorum colle Bononiam pedes veniebat, ut rei domesticae provideret: quam eandem viam secundo interdum, et cum opus esset, tertio etiam faciebat intra diem; nec aut lutum, aut nives, aut gelu, aut ventos, aut sirios ardores formidabat. Domum identidem redibat sudore manans, et lutulentus admodum, et a proxime superato clivo, pene intermortua ducendi spiritus facultate; sed tanti erat ei desiderium bono publico

 inser-

inserviendi, ut ab ejus ore nulla in his fuerit audita conquestio. Et cum eo jam tempore, sexagenario major esset, atque in pejus quotidie rueret afflicta jampridem salus; eximiam hanc, et prorsus laudabilem obsequendi Sociis constantiam nemo non magnopere admirabatur.

Eversa Societate, a multitudinis contubernio secessit; neque vero cessavit ab opera Mexicanis praestanda: videbatur enim mirum in modum laetari, et quasi exultare, quoties officium aliquod Socius quilibet ab eo postularet; sive publica omnium, sive privati cujusdam utilitas versaretur. Et quisquis per Bononiae vias Montejanum aspiceret, asserere quidem poterat nullo erroris periculo, domo illum exiisse vel ejusmodi obsequiorum gratia, vel adoratum in Templo Numen Eucharisticum; ante quod non modicam diei partem ferventissima religione ponebat. Quidquid supererat temporis, domi transigebat in jucundissimo recessu, feriatus quidem a mortalium curis, minime vero torpens molli otio, quales fere solent languescere in aerumnis, qui laborum suorum aliam mercedem, quam Dei voluntatem, sibi flagitant: ea enim tempestate abundantius advertit animum in fervidas precationes, et colloquia cum caelestibus; et saepe reperires hominem Marianos calculos manu versantem, ab eademque Deipara, quam singulari semper pietate coluerat, tranquillum a mortalitate discessum postulantem. His precationibus intermiscere maxima cum voluptate solebat piorum librorum intentissimam lectionem,

nem,

nem, a quibus firmior esset in proposita morum innocentia. Sed hanc etiam voluptatem ad postremos canos non tulit; nam oculorum aciem adeo amisit, ut nullum fere nosceret, nisi cujus vocem audiret. Nec minori patientia in hoc adverso se gessit, quam fuerat in prosperis temperantia; et ex eo tempore Numini se conjunxit arctioribus vinculis: quoniam plane solutus mortalium aspectu, nedum curarum strepitu; nihil, nisi Deum, lubenter cogitabat, nec ulla erant illi jucunda colloquia, nisi quae Deum omnino saperent. In hac vitae sanctimonia duodecim totos annos ab Societatis excidio confecerat; cum, redundante nimium pituita, et viribus ad exscreationes deficientibus, in extremum devenit vitae periculum. Lecto affixus, oppido mirabilem tolerantiam dies non modicos Christiane magnanimus exeruit: sensim autem ingravescente malo, postremis religionibus recreatus est, pene ad ultimum suspirium sui compos; ac tandem fiducia plenus, et Divinam misericordiam assidue implorans, vivere desiit quinto Kalendas Januarias, anno 1786., prope noctis concubium, cum aetatis numerasset annum septuagesimum septimum, sesquimensem, et biduum. Quiescit ad Divae Mariae Magdalenae Templum Paroeciale.

Perfecti autem hujus hominis veriorem habebit imaginem, qui sibi mente finxerit Societatis Adjutorem, quales esse volebat Lojola, qui ad obsequia domestica in suorum familia destinabantur. Erat enim Martinus Montejanus

cer-

certe laudabilis in paucis ab animo demississimo, ab insigni religione, ab observantia in Sacerdotes, ab opere strenuo, atque indefesso. In quo quidem opere cum longam annorum seriem posuisset, nunquam respexit ad hominum benevolentiam sibi comparandam; sed unus erat Deus, cui vota sua referebat, ad cujus opem in afflictis rebus confugiebat, quem in subcisiva quavis intercapedine respirabat. Interrogatus ab Socio quodam, num Deum amaret? paulisper substitit, et accenso repente vultu: *Equidem*, ait, *mihi videor inficiari non posse*. Ab hac in Deum charitate amavit Socios aeque omnes, nullo prorsus discrimine inter dignitate primores, et servilibus obsequiis destinatos, inter eos, quos longa familiaritate noverat, et quos ex sola veste intelligeret in Sociorum esse numero. Et hinc illud studium constantissime inserviendi omnibus, atque illi plausus, et laudes, quas ex animo attribuebat Sociorum cuilibet, qui vacasset officiis in caeterorum ejusdem sortis utilitatem. Morti proximus cum inopem suam supellectilem, et quidquid habebat sui juris, ad summae pietatis leges distribuendum jussisset; commendavit potissimum, ut ex iis nonnulla dono darentur Socio cuidam, hoc solum nomine, quod Sociorum obsequiis lubentissime intendebat. Misericordia fuit eximia in homines universos; eorumque miserias, vel animi essent, vel corporis, audire non poterat, quin ejus viscera moverentur ad praestandum auxilium. Animas autem, quae lustralibus flam-

mis

mis expiantur, peculiari charitate adjuvabat: et qui toto vitae intervallo multus fuerat in offerendis Numini religionibus, quibus eae sublevarentur; paulo ante suum interitum declaravit, jamtunc velle se concedere iisdem animabus, quidquid sacrificiorum, et remissionum post fatum sibi contingeret: satis enim suae saluti consulere existimavit, si misericors in afflictas animas, Deo charas, totum se Dei misericordiae vicissim committeret. Animi temperantia in praecipuis fuit Montejani virtutibus, vel potius ea fuit virtutum universitas, quae constituit absolutissimum hominem: temperavit limpidissimam linguam, ne unquam in alienis erratis aperiendis macularetur; temperavit oculos, ne in foeminae vultum imprudentes offenderent; temperavit palati sensum, ut modico viveret contentus, atque a cibis delicatioribus abstineret; compescuit iram, ne vel provocata foras erumperet, ne judicium occuparet, ne in vacantem muneri, et implicatum negotiis irreperet, ne gravitatem religioso dignam turbaret; dominatus est in cupidinem habendi exquisita, et pretiosa, sive in corporis cultu, sive in cubiculi supellectili; proindeque nihil erat in suis rebus, quod non redoleret inopiam; et videres hominem semper attritis, et resartis vestibus, tametsi honestam munditiem ex praescripto colebat. Auri contemptum ante didicerat, quam vitae religiosae tenuitatem amplecteretur; postquam vero inopiae voluntariae sacramento se obstrinxit, mirabiliter excelluit in eo despicien-

do,

do, quod plerunque habent in summis amoribus mortales. Cujus despicientiae manifestum dedit indicium, quo tempore postremam Mexico profectionem adornabat: cum enim Regius Minister quamdam auri portionem in Procuratoris quidem officina, sed paulo segregatam a reliquis pecuniis animadverteret: *Hoc certe*, quamhumaniter dixit Martino, *tuum esse nibil dubito, quoniam a Collegii pecunia secretum reperio; tuis ergo usibus reserva, ut Regia voluntas est*. Montejanus autem insigni temperantia: *Minime vero*, inquit; *nam id etiam ad communem Collegii pecuniam numerandum*. Nec inferioris pretii fuit aliud in hoc genere documentum: praemissa Regii Ministri facultate, secum attulit ab sui muneris officina capsulam refertam fabis quibusdam, quas Itali a Sancto Ignatio, Mexicani *Cabalongas* appellant; et has fabas in medicamentorum album hodie relatas, proptereaque in hoc orbe magni aestimatas, noluit Montejanus temere donari, sed aequo pretio divendi; ex pecuniis vero inde provenientibus nec assem unquam sibi sumpsit vir ille summa charitate, ac religione; totum enim Mexicanis aegrotis destinavit. Dignus profecto ab eximiis in Socios meritis, ut etiam a praeclaris virtutibus; cujus nomini gratum animum, et venerationem tribuamus; et cujus imaginem inter illustres Mexicanos posteritati commendemus.

IN-

INDEX

Vitarum, quae in hac secunda parte continentur.

Pag.	*lin.*		*lege*
38	18	habebant	habebat
125	31	Veracrucem	Veramcrucem
186	1	portatetur	portaretur.
	6	magnaquae	magnaque
187	26	Primas	Pimas
267	16	perculsus	perculsis.
335	14	Mastris	Matris
351	10	dixeris	videris
363.	1	octua-	octo-

Vidit D. Joseph de Bonis Clericus Regul. Sancti Paulli, & in Eccl. Metrop. Bonon. Pœnitentiarius pro Eminentiss., ac Reverendiss. Dom. D. Andrea Card. Joannetto Ordinis S. Benedicti Congreg. Camald. Archiep. Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Die 31. Octobris 1791.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius M. Ceruti Vicarius Gener. S. Officii Bonon.



